John Carter Brown
Library
Brown University

The John Carter Brown Library
Brown University
Purchased from the
Louisa D. Sharpe Metcalf Fund

Dresden
D 1913
E 25

J332 1

GUILLELMI VERHEIDEN

IN

CLASSEM XERXIS HISPANI ORATIO.

AD

SERENISSIMAM ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

HAGÆ-COMITIS,
Ex officinâ Alberti Henrici.
Clɔ. Iɔ. XCVIII.

GUILELMI VERHELSTII

IN

OLASSEM

XERXIS HISPANI

ORATIO.

AD

SERENISSIMAM ELISABETHAM

ANGLIAE REGINAM.

HAGAE-COMITIS,
Ex officina Alberti Henrici.
cIↃ IↃ LXXVIII.

SERENISSIMAE AVGVSTISSIMAEQVE HEROINÆ ELISABETHAE, ANGLIÆ, FRANCIÆ, HIBERNIÆ REGINÆ, &c. PERPETVAM FELICITATEM.

VARIETAS rerum humanarum magna in multis, major in Dynaſtis, maxima in Tyrannnis apparet. quos utá primo ſuâ quidem opinione perbeatos, ſic ad extremum ipſa re calamitoſos eſſe cernas. Vt enim Divinum jus pariter atque Humanum poſt Libidinem ſuam habere, ſummum Imperium ſummam Felicitatem ducere cœperunt; facilé per fas atque nefas conſequuntur eam, in qua Beatitatem ſtultè ponunt, Potentiam. Innocentiam enim, quæ malarum inſciens artium Æquitate diſceptare, non judice Marte conſuevit, excipir frequenter incautam inſtructa dolis viribúſque Audacia. Poſtea veró quám exſultare Improbitas, Virtus afflictari cœpit, Deus immortalis, quem nulla nec aſtutia ludat, nec lædat violentia, calamitatem bonorum felicitate, felicitatem Tyrannorum calamitate compenſat. Quamobrem magna me, atque adeo ſpes maxima tenet brevi erectam videndi, quæ nimis afflicta jacet, Libertatem. Ille profectó, qui totum adhuc Terrarum Orbem territavit armis, ad lapſum (utinam ruat) ca-

pite jam toto propendet. Nam, hoc Navali Terrore ſublato, ne rem unam eſſe actam putemus, Tria ſecunda nobis, adverſa illi acciderunt. quandoquidem & Periculum, quod imminebat, repulſum; & formidoloſa aliquantúm imminuta Potentia; &, quod ego maximum eſſe duco, patefacta eſt omnibus DOMINANDI CVPIDO. hinc quanta ſit conſecutura Mutatio, ego non dico; vident Prudentes; ipſe, qui propinquat, Dies docebit. Cujus igitur Victoriæ res ipſa cúm tibi, Deo ſimul & Virtute tuâ adjuvante, glorioſa eſt, tum omnibus etiam bonis, maximéque Belgis ſalutaris futura; Illius Recordationem ad te (majora, cúm matura jam ætas adoleverit, daturus) homo Belga mitto. Quod ſi qui Rem levem hanc eáque re ingratam tibi fore putant, deſinant illi Magnanimitatem tuam anguſtiâ ſuâ metiri. ſcio ego abjectos ſordidóſque mortales præſtantiam doni ſolere, Principes autem, id eſt, homines altâ mente præditos Animi magnitudinem intueri. Nam quód me vehementiús in Hiſpanum multa dixiſſe dicent (a quo tamen Prudentes & amantes Patriæ viros longé afuturos plané confido) hæc velim in pectus ſuum demittant: Primúm; Belgam eſſe me, quicum ea fœdera non pepigit Hiſpanus, ut quod Veritas ipſa clamat, loqui non liceret: Deinde, eum Belgam, qui tum primúm in hanc ſum lucem ingreſſus, cúm Albani furor in Patriam crudeliſſimé ſæviret. ex quo, ſi placet, intelligant, Odium crudele Tyranni animo meo á teneris jam tum unguiculis impreſſum: Tum eum etiam Belgam, qui non hortatu aliorum incitatus, ſed naturâ meâ paratus, non juvenili temeritate prolapſus, ſed ipsâ Ratione adductus, Mentem meam, Linguam, Dextram, totum denique me devovi

PATRIÆ

PATRIÆ LIBERTATI. pro qua, tantùm abeſt ut calumniæ ignavorum, quos didici contemnere, me diſiſtere victum ab incœpto cogant, ne quidem ipſam ſubire mortem horrebo: illud mei Doctoris in pectore verſaturus,

VNA *ſalus Victis*, NVLLAM *ſperare ſalutem.*

Lugd. Batavorum, ipſis Kal. Ianuar.
clɔ. Iɔ. LXXXIX.

BELG. *Libertati, & Majeſtati Tuæ*

DEVOTVS

Guillelmus Verheyden
Gravienſis, Belga.

In Argonautarum Regem,

PHILIPPVM HISPANVM AVREAM BRITANNIÆ PERISCELIDEM RAPERE VOLENTEM.

Abſtulerat VELLVS *cur non Hiſpanus Iaſon,*
Quod Bullâ, Voto, Numine Papa dedit?
Flammivomum primùm fuerat ſuperare DRACONEM.
Servabat uigilans Oſtia, Regna DRACO.

IN PLENIPOTENTISSIMVM PATREM PONTIFICEM EIVSQVE NATVM POTENTISSIMVM PHILIPPVM, XERXEM HISPANVM, FAVCES MARIS BRITANNICI PROPTER ITIVM PORTVM ARMATA CLASSE ſuffocantem, Anno clɔ. Iɔ. LXXXIIX.

AD BRITANNOS NEGANTES PONTIFICEM.

En Papæ NATVS *mare jungit pontibus: ipſum*
PATREM *non vultis credere* PONTIFICEM?

IN DV-

In Ducem Medinæ Sidoniæ, Nauarchum,

PARMENSEM ORNITHARCHVM

MARI FRVSTRA EXSPECTANTEM.

PRO ITALO AVCVPE.

FLVCTIBVS *in mediis ſolus, Nauarche, maneto:*
His Auceps agris Italus ille manet.
Nauarchus Domino capis, Ornitharchus eidem:
Caſſibus hic Terrâ, Claſſibus ipſe Mari.
Iure igitur, Nauarche, fugit maria Ornitharchus.
Aucupii locus eſt non Mare, Terra locus.

In ſubmerſam Holcada Medicorum peſtiferam CLASSEM ſequentium.

AD INFLATOS ET PERDITE SVPERBOS HISPANOS.

Hiſpanos tumidos Hydrops cur ſuſtulit? Ipſos,
Non mirum eſt, Hydrops ſuſtulerat Medicos.

In Preces ſubmiſſi Hiſpani, ceteroqui audaciſſimi, cúm Fluctibus maris Hibernici obrueretur.

AD HISPANOS SE NVMQVAM VICTOS IACTANTES.

Martial. de Leandro.

Clamabat tumidis audax Hiſpanus *in undis,*
Mergite me Fluctus, cúm rediturus ero.

Tranſcripta ex Iberonauticis Apollonii Belgici.

GUILEL-

GUILLELMI VERHEIDEN

in Classem

XERXIS HISPANI

ORATIO.

SI Deus immortalis feciſſet, ut, quantó vehementiús impii nefariíque hoſtes aras atque focos, vitam fortunáſq. noſtras oppugnant, tantó diligentiús boni fortéſque viri propugnarent; concideret improborum conatus, ſtaret tuta & inviolata Libertas. nulla enim calamitas, nulla clades eſſe tanta poſſet, quam non aut ſalutare prudénſque conſilium prohiberet, aut præſtans animi magnitudo profligaret. Verúm neſcio quo Reip. fato evenire dicã, cúm in maximum Patria periculum & in extremum ſit adducta diſcrimen, ut pauciſſimi ad hanc veluti pernicioſiſſimam inteſtini belli flammam, quâ poſſint, ope reprimendam concurrant: quam, ſi quidem ſe ſuóſque ſalvos eſſe vellent, non armis modó viribúſque reſtinguendam, verúm ſuis etiam corporibus obruendam putarent. Etſi enim, quod natura ratióque præſcribit, quod neceſſitas ipſa cogit, non omnes peræqué ſuccumbenti Patriæ ſubvenirent, tamen pro ſua quiſque virili laborare, non timiditatem aliorum morari deberet. Quid enim aliud liberatores illi noſtri defenſoréſque fecerunt? qui, etſi parum fuerant ab iis, a quibus debuerant, adjuti, tamen, non quid efficere ipſi poſſent, ſed, quid ſalus Reip. poſtularet, cogitarunt. Vt mihi quidem hi divini inter mortales viri non tantúm nobis profuiſſe videantur, quód furibundos HISPANI conatus repreſſerunt, verúm etiam, quód juventuti præclariſſima Patriæ

defendendæ exempla tradiderunt. virtutis enim fructum Reipublicæ, hereditatem gloriæ ſuis, at exemplum facti cunctis reliquerunt. Numquam-ne talium virorum imago vel ignaviſſimum quemque ad Libertatē capeſſendam commovebit? niſi fortè aut vilem ipſorum ſpiritum, quod eſt ingrati, aut potiorem tuum, quod arrogantis vel dementis, eſſe arbitraris. Ego profectó (pariat animus, quod jamdiu parturit) ut Patriæ meas, quas debeo, partes perſolvam, hanc animam, hoc corpus, hunc ſpiritum, quem natura ſibi arrogat, tibi dono, tibi dedico, tibi divoveo, O Belgarum ſancta LIBERTAS. Hoc ego adſtrictus ſacramento excubabo ſemper & vigilabo: nihil, quod ad ſalutem Patriæ pertinere & licere mihi arbitrabor, prætermittam. Si labor ſuſcipiendus; ſuſcipiam: ſi moleſtia ſubeunda; ſubibo: ſi quod periculum, ſi qua dimicatio futura eſt, non modó non refugiam, verumetiā ſacramenti mei conſcientiâ erectus appetam atque depoſcam. Quemadmodum igitur antea ſponte meâ & naturâ paratus, cúm maximé furor arderet Hiſpani, cùm ventis, velis, remis incitata Claſſis aduolaret, tum VII. Kal. Aug. quo judicatus eſt Hoſtis Belgarum PHILIPPVS Diem Patriæ ſalutarem, gratum bonis viris, mihi veró jucundū laudatione in memoriam revocavi: ornavi conſtantiam; abjeci ſocordiam: potentiam Hiſpani videri magis, quám eſſe pertimeſcendam probavi: Sic idem ego nunc jurejurando confirmatus, Deum immortalem Patriámque teſtatus de pernicie atque Terrore univerſi terrarū Orbis exſtincto oratione triumphabo. Nam quæ res umquam accidit vel accidere potuit aut Britannis Belgíſque optabilior, aut exteris nationibus vtilior, aut acerbior Hiſpanis, aut commē-

danda magis memoriæ posteritatis sempiternæ? Priús ille ipse Oceanus, qui naufragos illos absorpsit, dissipavit, ejecit, Britanniam atque Belgicam, priús ipsam inundabit Hispaniam, quám justissimum illius pestiferæ Classis interitum ulla vel oblivio delebit, vel obscurabit vetustas. quám enim diu aut nostrum, aut illorum nomen exstabit, tamdiu & victoriæ nostræ manebit, & calamitatis illorum recordatio. Itaque hanc ego victoriam eó libentiús alacriúsque commemorabo, quód nihil accommodatius, sive ad tristitiã calamitosorum consolandam, sive ad torditatem otiosorum incitandam, esse videatur. Quod enim majus ad minuendũ dolorẽ solatium, si tam celerẽ tantæ Classis interitum, quod acrius ad defensionẽ sui suorúmque incitamentum, si Cupiditatẽ dominandi expendas? Quamobrem & ambitiosissimum Hispani conatum, & supplicium ejusdem multó gravissimum dicendo persequemur. partim ut vobis, Ptincipes Christianæ Reip. atque Dynastæ, quod hactenus ratio non persuasit, res ipsa, quæ valet plurimúm, ostendat, Vos esse illos, quibus insidias, quibus arma, quibus Servitutem minitatus fuit & minitatur Hispanus. Etenim documentum vos capere voluit ipsa fortuna, quos in posterum amicos sperare, quos inimicos timere, quales ipsi vos præstare debeatis. quod nisi hodierno die videtis, nisi tela machinásque in muros vestros fabricatas retunditis, actum est de salute vestra, actum de Rep. actum de Libertate. partim uti vos, Belgæ, quos perdiu adversa belli fortuna divexavit, cúm incertos eventus variúmque Martem videtis, tum & imbecilles, imperatore Deo repugnante, Tyrannorũ vires contemnatis, & patrios spiritus animósque Belgarum, id est, fortissi-

morum virorum nomine dignos recipiatis. CVM enim graviſſimarum a condito Mundo Hiſtoriarum auctoritas, tum etiam certiſſimus omnium magiſter rerum Eventus RARO Tyrannum ultra viginti, raró Tyrannidem ultra centum annos progreſſam fuiſſe teſtantur. quandoquidē Deus immortalis, cujus in poteſtate ipſa rerum viciſſitudo conſiſtit, nihil graviús, quám potentes illos Gigantes ſuperbóſque deteſtatur. Cur enim montes frequenter altiſſimos fulmine deturbari? cur turres editiſſimas violentiâ ventorum proſterni? cur robuſtiſſimos perſæpe exercitus perexiguâ militum vi profligari videmus? Quoniam ſummus ille cælorū terrarúmq. gubernator dejicere excelſos, extollere ſubmiſſos, potentes infirmare, infirmos adjuvare contendit, dum neminem omnino, niſi unum ſe ſuſpiciendum, ſe admirandum, ſe colendum eſſe arbitratur. Quod ſi ita eſt, quis non intelligit duriſſimas pœnas, atrociſſimos conſceleratiſſimo cuique Tyranno cruciatus imminere? Quis enim adeo deteſtabilis homo, quæ bellua, quod denique monſtrum fuit umquam inventum tam pernicioſum generi humano támque infeſtum, quám Libertati, quám virtuti, quám, prô ſcelus indignum! Divinę Majeſtati TYRANNVS? Quem enim ego Tyrannum appello? Illum, qui libidine ardens, furore præceps Legum poteſtatem, ſanctitatem judiciorum, Senatus auctoritatem, Divini cultus religionem, innocentiam ſubditorum, morē majorum, denique nefariē Divina & Humana jura proculcat dummodo per vim pérque nefas illum, quem Ambitione occæcatus ſibi finxit, invadat teneátque Principatum. In quo ſit ſanē felix (ſiquidē ulla eſſe poteſt in ſcelere felicitas, nam meâ ſententiâ, niſi qui juſtē agat, felix

eſſe

eſſe nemo poteſt) verumtamen ſit ab breve exiguúmque tempus fortunatus: at, ne Libertate fruar, niſi ſe tandẽ aliquãdo aut natum fuiſſe, aut in ſcelere fortunatum exſtitiſſe deploret. Aut enim Deus omnino nullus eſt, quod vel ſuſpicari nefas, qui inferiora hæc & mortalia curat, aut atrocitatẽ maleficiorum gravitate pœnarum compenſat. Nam ſi quando ſupplicium differtur diutius, quám aut improbitas Tyranni videtur, aut innocentia bonorum poſtulare, nihil eſt, quod magnopere mirari poſſimus. CONSUEVIT enim Deus immortalis, quó graviús homines ex commutatione rerum dolerent, quos pro ſcelere ipſorum punire decrevit, his ſecundas interdum res & diuturnioré impunitatem concedere. Quare multa viri prudentes audierint, multa meminerint, multa legerint, at neminem omnino Tyrannum quamvis feliciſſimum vel ad extremam perveniſſe ſenectutem, vel ſine luctu vixiſſe, vel ullum tuliſſe ſcelus impune dicent. Repete Dionyſios Phalaridéſque Siculos; repete Alexandros Pheræos, Ariſtodemos Cumanos: recenſe Tarquinios Superbos, Caligulas, Neronés; recenſe Domitianos, deteſtabiles Iulianos, Scythaſque Tammerlanos. denique antiquitate vetuſtiſſimos, magnitudine imperii potentiſſimos, pravitate nequiſſimos recẽſe Tyrannos: Quid? non ne ad unum omnes ab ipſo Deo puniti, a Senatu damnati, a civibus expulſi, a ſatellitibus, ab amicis, a filiis interfecti, conſcientiâ ſcelerum (quo tormento quod poſſit eſſe majus?) exanimati graviores, quám optare quis poſſet, pœnas dederunt? Et in hunc præſtantiſſimorum ſcilicet Heroum numerum, niſi furoré tuum crudeliſſimis conſiliis incitatũ cohibeas, nomen, Philippe, tuum relatum eſſe brevi audiemus. Omnes enim mortales,

tales, qui & te, & tuós, & tuorum facta cognoverunt, nimiúm hercule diu iſto te honore atque mercede defraudari queruntur. Teſtes ſunt Sicilia, utraque Hiſpania. teſtes Inſubria, Campania, quas Regiones tu more majorum viventes & Libertatẽ patriam indignè projicere, & ſervile jugum perinvitas recipere vi armíſque coëgiſti. teſtis eſt vetus India, & illa, quæ malo ſuo inventa fato ſæpius ſanguine civium ſuorum, quám aquâ redundavit. teſtis eſt Belgica, quæ graviſſimo defatigata bello per viginti jã annos vix punctum temporis reſpiravit. teſtis eſt Luſitania, quæ miſerum in modum decepta ſe non tantúm Rege ſuo abs te, verúm etiam Libertate ſpoliatam eſſe clamat. teſtis eſt Gallia, quæ Guiſiorũ tuorum furore exhauſta atque vaſtata miſeriã calamitatémque ſuam tibi refert acceptam. teſtis eſt Polonia, quę jam altero ab hinc anno comparatas ſibi conſilio operáque tuâ inſidias fortiſſimé feliciſſiméque oppreſſit. Teſtis eſt noviſſimé Britannia, quam Divina benevolentia ſalvam incolumémque a vaſtitate & incendio conſervavit. Teſtis eſt Orbis ipſe terrarum; omnes Nationes, quæ quidẽ, aliæ clám, aliæ palám & aperté, ſed omnes unâ mente pœnas abs te miſeriæ ſuæ doloríſq. repoſcunt. O te miſerum, ſi hęc ſentis! miſeriorem, ſi ignoras quám miſer ſis, quám calamitoſus! Erras, Philippe; erras. non te Deus adhuc a ſupplicio factis illis tuis digniſſimo ſervavit, verúm ad pœnas graviores te & cruciamenta reſervavit: neque te ad Principatũ evehendum, verúm, quantó altiús aſcendiſti, tantó graviús affligendum putavit. Nam ſi qua ſigna, Belgæ, Divinæ voluntatis ullo umquam tempore apparuerunt, illa profectó omnia hac tempeſtate ita fuerunt manifeſta, ut & illi debitũ exitium, & priſtina nobis

Libertas

Libertas appropinquet. Quid enim? An præſentia Divini numinis umquam clariús perſpecta fuit & patefacta mortalibus, quám cúm vaſta CLASSIS illa, quæ non modó viros, arma, theſauros, verúm etiam Deos omnes Deáſque vehens exſcidium perniciémque Orbis allatura videbatur, non ab homine, ſed ad ipſo Deo, non armis, ſed ventis, non viribus humanis, ſed ipſis disjecta fluctibus periret? Et certé ſi inveteratũ Hiſpani odium conſideras, irâ totus flagrabat; ſi potentiam, accipienda Servitus erat, aut indigna ſubeunda mors; ſi confidentiam, explorata habebat victoriam; vicerat. quid quæris? triumphabat. Quamobrẽ non modó vos, quorũ calamitati graviſſima Hiſpani clades eſt conſolationi futura, verúm etiã vos oro, Principes, quorum induſtriã atque virtutẽ improbiſſimus debet exitare conatus, quem ad modum tam dirum tetrúmque exitium repulſum rejectúmque ſit, diligenter attendatis. ut igitur cauſſam hujus tantæ audaciæ, vel potiús occaſionẽ videamus (cauſſa enim omnium malorum in Hiſpano eſt Ambitio) ſic in primis moderabor orationi meæ, nihil ut dicturus ſim, niſi quod ita notum ſit atque teſtatum, ut ſilentio præteriri non poſſit. nec enim meum eſſe puto, Magnorum conſilia Principum ullo pacto indagare. Si autẽ ea, quæ ſtomachum Philippo movere potuerunt, re & veritate expendas, nulla ſunt: ſin ipſius iudicio metiaris, ſexcenta. Nam qui nullâ laceſſitus injuriâ, ne verbo quidem violatus florentes perſæpe populos Libertate, fortunis evertit, hunc belli cauſſam, vel potiús cauſſas ſuâ quidem ſententiâ graviſſimas occaſionémque adeptum quo tandẽ conflagraſſe odio putamus? ut enim omittam tranquillitatem, pacem; ut omittam feliciſſimum Britanniæ ſtatum

ſummámque Libertatẽ, quibus eſt omnibus naturâ inimicus, Non hæc illum cauſſa concitavit? Regina vicinos ſibi Belgas, (quibus patriam eripere Libertatem, alienã injungere Servitutẽ præter jus atque fas, præter Leges Regionis, præter morem majorum inſtituebat Albanus,) non continuó terrâ maríque bello perſequendos eſſe judicavit. malé factum. Quamquam in eo tantúm aberat, ut te vel minimâ ex parte offenderet, meliús, quám ipſe tu, & utilitati, & dignitati tuæ conſulebat. videbat enim, & veré videbat, niſi dementiâ Hiſpanorum aliquantúm compreſsâ, Belgas æquitate ductos, neceſſitate tractos fidẽ auxiliúmq. potentioris Dynaſtæ adverſus immanitatem Albani imploraturos: &, hoc ſi facerent, omnem tibi ſpem ad priſtinam auctoritatem adſpirandi præreptã eſſe & præcluſam videbat. Itaque numquã Belgas ſcelere tuorum vehementer afflictos, vehementiús affligendos putavit. neque enim eam ob cauſſam in tanto imperii faſtigio erat collocata, ut miſeros egentéſque Belgas, qui crudeliſſimo Albani mucrone non cecidiſſent, fugientes trucidaret. Sed, ne quam ſocietatem cum externo Principe coirent, Ne peregrino Principatum deferrent, Ne te, qui te ipſum per ſummam injuriã omni jure ſpoliaras, repudiarent: quoties tibi concordiæ, pacis, compoſitionis auctor fuerit, ipſe Tu, ſi quã habes mentem, recordaris. Sed non hęc illum ratio adegit? Nefarios latrones illos, qui facti ab Hiſpano perpaucis anté annis, Romano Iove bene adjuvante, conturbare Hiberniam conabantur, Regina ſive expulit, ſive emiſit, ſive Regni finibus exire juſſit. magnum facinus. Quaſi veró qui Libertatem ſuam non traderet, ac non is, qui alienam nefarié cuperet, vim injuriámque inferret. verumtamen eſt

illa

illa omnium natura improborum, vt ab iis ſe, quibus face-re non potuerunt, injuriam accepiſſe dicant. Non hoc facinus ipſum commovit? Regina Belgarum precibus, & antiquiſſimâ ſocietate, & conjunctione arctiſſimâ adducta, partim ad barbariam ab humaniſſima gente repellendam, partim ad Regni ſui incolumitatem, quę devictis Belgis eſſe nulla poſſet, conſervandam, proſtratam indignâ ſorte vicinorum Remp. ſpe erigere, ope ſuâ adjuvare decrevit. At quorum vicinorum? eorum, qui tot jam annos omnes belli tempeſtates ſubierunt; Albanos repreſſerunt; devicerunt Auſtriacos; ſuſtinuerunt Alexandros, omnes Hiſpanos: atque adeo Dominum Hiſpaniarum ipſum hoſtem Reip. inimicum Libertatis unâ & mente & voce judicarunt Philippum. magnum Reginæ & grave crimen. Quid ſi non tantúm bonis illis heroicíſque temporibus, verúm hac etiam tempeſtate prudentiſſimis Principibus eſt uſitata conſuetudo, vt finitimis potentioris alicujus violentiâ preſſis, quacunque poſſint ratione, ſuccurrant? id enim verentur viri prudentes, qui publicam tueri Libertatem, antiquiſſimam ſibi curam eſſe ducunt, Ne vicino devicto, victore hoſte, convaleſcente potentia, aut eamdem belli fortunam experiri, aut iniquam tolerare conditionẽ cogantur. Itaque hanc defendendi rationem non ſolúm Athenienſes, ſed etiam ii, quorum & togata prudentia laudatur, & armata fortitudo, Lacedæmonii ſanctiſſimé coluerunt: hanc Itali Principes, quorũ in primis in Republ. gerenda probatur induſtria, fœdere ſanxerunt; hanc Reges omnes atque Dynaſtæ, quibus & pax cordi fuit, & curæ Libertas, tenuerunt. hanc igitur rationem ſi Chriſtianæ Reip. Principes (quod mehercule non fecerunt) ſi a prin-

cipio ſecuti fuiſſent, illos, Philippe, mihi crede, tu, non te illi timerent: Potentiam tuam ipſorum juſtitia, non libido tua terminaret. Verúm excitat te, quantúm conjecturâ augurari poſſum, C. CÆSARIS factum illius, Qui cúm Bello Gallico Belgis ſubminiſtrata a Britannis auxilia intellexiſſet, infeſtis derepente ſignis trajecit; Inſulã invaſit; direptam miſeré atque afflictam ad arbitrium ſuum pæne totam revocavit. Præclarum facinus, ut pleraque omnia Romanorũ: quos non vis, non injuria hoſtium, non pax, non ſocietas violata, ſed Ambitio, ſed Avaritia, ſed immoderata regnandi Cupido ad arma ſtimularet. hic igitur te, ut opinor, Cæſar majori cupiditate dominandi incenſum, eamdem occaſionem, eoſdémque hoſtes nactum ad ſimile factum provocavit. Sed quid hæc ego? Quaſi verò non S. LIGA, non Religio Romana, non venerandus Pontifex ille tuus iſto te dicto, quo Cuncta tibi Hæreticorum Regna donavit, ſatis adverſus inimicam Romanæ Servituti Britanniam armaret. Quamquam ego quidem interpretari non queo, utrum magis, ut accerrimus Chriſtianę Religionis hoſtis, Regionem ſibi adverſam delere, an, ut Petri Piſcatoris imitator, propter abundantem illius Inſulæ piſcationem recuperare contendat. Verum tamen, quidquid id eſt, tu peccare, Philippe, non potes, qui divinam venerandi Pontificis ſententiam, vel potiús (putabit enim ſe derideri a me quód nunc iterum dico venerandi) ſceleratam exſecrandi Væjovis libidinem tam religiosé tam conſtanter exſequaris. Quamquam, ſi verum quærere velimus, hunc tu Pontificem non ſecus, atque XERXES arborem, ut ajunt, Platanum, omnibus perornare rebus & tueri conaris. ſed hoc inter te atque illum intereſt: Ille

ſuam

ſuam amore inſano correptus adamabat; tu Platanum illam tuam amare te ſimulas: ille quidem nullâ ratione; tu maximâ cauſsâ adductus: ille, ut illius aſpectu inſaniã ſuam oblectaret; tu, ut ipſius umbrâ iniquitatem ſuperbiámque tegas tuam. Niſi veró tantum ſemper laboris pertuleris, tantum ſudoris profuderis, tantum periculi adieris, ut Romanam Religioné promoueres, ac non potiús ut violentiam & rapacitatem tuam piæ voluntatis velo, religioſi ardoris fumo obumbrares. Quamobrem adeſte Principes Orbis terrarum; erigite mentes auréſque veſtras: ego cauſſas omnium, quæ vobis ab Hiſpano omnibus inuſta ſunt, malorum indicabo: Non ſtudium Romanæ Superſtitionis, non odium Religionis Chriſtianæ, non benevolentia Pontificis ad cædes, ad incendia, ad rapinas concitavit, verúm, ut LIBERTATI, ut Naturæ, ut Humanitati peſtiferum & capitale bellum denunciares, ut vaſtatione Regiones, depopulatione urbes, internecione homines, BRITANNIAM funeſtâ exſcindere Claſſe tentares, tua, Philippe, tua te Ambitio, tuus Furor, tua Avaritia movit, incendit, inflammavit. Nunc ut plenis aliquando velis ad CLASSEM ipſam feratur oratio. Quod robur! quanta vis! qualis Terror ille fuit! ut ne quidem ipſe ſol, qui luſtrare cuncta & illuſtrare ſolet; quidquam firmius, quidquã majus, quidquam terribilius vidiſſe videatur. Multúm Athenienſes, multúm Rhodios, plurimúm Carthaginienſes, plurimúm Romanos maritimis valuiſſe rebus ſcimus: at ex omnium ſeculorum memoria nullos tam ab omni apparatu Navali paratos fuiſſe inſtructósq. comperimus. Ita & vera magis minúſq. obſcura, nec tantũ admirationis in poſterum eſt habitura antiquitas. Nam & illa, quæ pro-

pter difficultatem nobis fidem non fecerunt, non ficta, ſed facta, &, quæ propter inſolentiam miraculorum nomen obtinuerunt, non eſſe tam mirabilia, quám habita fuiſſe comparebunt tum, cúm memoriam temporum noſtrorum cum ſuperiorum recordatione ſeculorum conferemus. Numeroſas antiqui claſſes & bellicoſas habuerunt: tá firmas adverſus ventorum undarúmq. contumeliam, tam armatas contra vires impetúſque hoſtiles, tam ad conflictum & victoriam paratas nullo pacto habuerunt. Quandoquidem illę claſſes, quas mirabiles magis vetuſtas quám veritas fecit, plerumque ad unum aliquem maris ſinum obtinendum, hæc ad univerſum perdomandũ Oceanum, illæ ad unam aut ſummum alteram conflictionem, hæc ad omne bellum, illæ contra ſingularem certúmque hoſtem, hæc adverſus Principes Chriſtiani Orbis univerſos, illæ uſitatâ, nec ita gravi armaturâ, hęc inuſitato armorum apparatu, illæ denique, ut vinci poſſent, hæc erat, ut ſuperari non poſſet, comparata. Prætermitto omnia fuiſſe plena inſtrumentorum, velorum, remorum, plena ſparorum, bombardarum, pilorum, haſtarum, tormentorum ad evertendam Britanniam paratorum: Navium ipſarum, tamquam ſcopulorum rupiúmque marinarum, quám incredibilis illa fuit, quám immenſa magnitudo! Miſeret me undarum illarum, quæ tanto támque intolerando onere ingemuerunt: miſeret ipſorum, qui tam inſuetam molem tam laborioſé protulerunt, ventorum. Ajunt Iaſonẽ cum delecta Heroum manu ad rapiendum auratum Colchorum Arietem conſcendiſſe; ſic Hiſpanum ad abripiendam Britanniæ Periſcelidẽ ſolviſſe dicerem, niſi tanta Navium illarum amplitudo fuiſſet, quaſi non auream modó Periſcelidem,

ſcelidem, ſed ipſam auferre Britanniã, tanta altitudo, quaſi Cælum, ut Gigantes olim, expugnare, in eóque Papam Deóſque illos, quos Claſſe ſecum vehebat, collocare tentaſſet. Et cùm Deorum mentionẽ facio, quod pæne delapſum erat de memoria, commodúm recordor nullã navim fuiſſe non uni alicui ſeparatim Deo conſecratam. Qui quidem Dii etſi innumerabiles fuerunt (quod enim, non dico ſacrarium, ſed Lararium in Hiſpania fuit non ad hanc tranſlatum Claſſem?) unus tamẽ S. Bartholomæus, qui primas inter omnes ſané facilé tenebat, lanionum, ut ajunt, præſes, tacitus relinqui nullo modo poteſt. hic fœdo aſpectu, ore nigro, horrido incultóque capillo (Maurũ aut Hiſpanum eſſe diceres) dextrâ cultrum tenens lanionium, veſte fulgens ſanguinea prætoriæ navis puppim ſervabat. Hujus aram armati Duces tetigerunt, cúm pateras ſanguine plenas humano tenerent; cúm cæſo homine Chriſtiano, non, ut veteres olim, porco, ſocietatẽ cædis firmarent. Hunc eumdem (nam & opem ipſius in Laniena Pariſienſi maximam erant experti) ad hanc Britannorum carnificinam fautorem ſibi voluerunt & patronum habere. Et hæc ficta putatis? Quid quód nulla fuit tam abjecta, tam fumoſa imago, cui non vota pro felici reditu fecerunt? Sed hæc pietas ipſorum fuit. Quid ego jam labores, quos plurimos maximóſque exantlarunt, commemorem? non-ne tres annos ipſos & ampliús hunc Terrorem tanto ſtudio atque conatu machinati fuerunt, ut non tantúm Hiſpania tota, verúm etiam omnes, quæ modó operam navare aliquam potuerunt, Regiones unâ laborarent? non-ne Indiã utramque ab omni metallo copioſiſſimam ad ingentẽ auri vim conficiendam peragrarunt? non-ne Luſitaniam, aliquâ ex

parte Italiam, Orientem, Occidentem, Meridiem navium robore ſpoliarunt? certé omnes, ſive onerarias Holcadas, ſive prędatorias Galeaſſas appelles, nomina vel a mercatorum avaritia, vel prædonum rapacitate traxerunt. non-ne cunctis Ditionis ſuæ populis aliquid, aliis frumentum, aliis tormenta, nullis nihil imperarunt? O ſumtus illos: O labores omnibus jam tum bonis formidoloſos, ſed uni tibi, tibi uni, Philippe, jucundos. Te quantúm curarum laborúmq. gravitas deterrebat, tantúm illa, quæ moleſtiarũ fructum, periculorum exitum, principiũ Regni ſperabat, hortabatur dominandi Cupido. Nam, ut viros jam ipſos, in quibus vel maximum totius rei firmamentũ fuit, videamus, non robuſtiſſimos remiges, non laborioſos nautas, non peritiſſimos gubernatores, ſed eos modó in memoriã revocabo, qui ita naturâ facti & imbuti, ita conſuetudine docti & inſtituti erant, ut omnes inter ſe de palma crudelitatis certare ſummo jure potuiſſent. Numquis latrones armatiſſimos? numquis veteranos? numquis omnes ad unum Hiſpanos, id eſt, ad opprimendã Libertatem, delendam Remp. exſtinguendam bonorum ſalutem natos, factos & conflatos ignorat? Miramur exercitum Auſtriaci illum, & jure miramur, qui claſſem Turcarum potentiſſimã divicerit; victoriam tam omnium ſermone celebratã reportarit: at ſi rectè ratiocinari & rẽ ipſam cauſſis, non eventu ponderare velimus, nihil eſt, quód copias illius fortunâ belli magis quám virtute laudatas cum hoc invictiſſimo latronum exercitu cõparandas putemus. Illi plerique tyrones, imperiti, multi imbelles, hi veterani, fortes (ſi quis in ſcelere fortis) exercitati, illi magnam omnino partem Itali atque Germani, hi, quod caput eſt omnium, Hiſpani fuerunt. at quales Deus

immor-

immortalis,qui inuſitatâ feritate,crudelitate inaudita omnem barbariã vicerunt! Illi, illi erant,qui Luſitaniã,utramque Indiam,utramque Hiſpaniam,qui Campaniam & Inſubriam civili ſanguine cruentarunt:illi, qui nullo umquã tempore ullum ullo in loco veſtigium ſine furtis, ſine rapinis impreſſerunt:illi, qui quo pacto Regiones devaſtare, urbes inflammare, diſcruciare cives,ſpoliare fortunas poſſent, ſexcenta jam anté exẽpla ediderunt. illi denique,qui, omni ætate armis tranſactâ, veluti rudem præmiúmq. laborum accepturi ſuorum ad extremum hoc facinus e disjunctiſſimis Mundi plagis convolarunt. Nam quid ego de morum animorúmq. immanitate dicam eorum,quorum etiam nomina (tam intolerabilia ſunt,tam dura,tã barbara) aures hominum mentéſq. percellunt? Quis enim magnos Barbarorũ Donnos Alfonſos, Doëgos, Allonſos, Franceſcos,Maureſcos,Ladrones maritimóſque Prædrones, Quis illuſtres Goth-Alanos Moncadas,Valaſcos,Gevaras,Norhonnas,Arellanos,alióſque,neſcio quos,Maurorum filios, Quis,quorum nomina peſtem perniciémq. ſonant, exſecratos Maldonados,perditos Mendoſas,inflatos Ventoſas, difficiles importunóſq, Orgas, Quis omnes ab omni humanitatis ſenſu abalienatos non perhorreſcat Aſtorgas! Romani veteres illi perantiqui Gallos Senones,ob inviſam corporum & animorũ feritatẽ, ad vaſtitatem Italiæ exſcidiúmq. imperii Romani natos exiſtimabant. & hanc hominum turbã effrenatiſſimorũ, quos natura ambitioſos, præda avaros,periculũ audaces,fortuna crudeles,conſuetudo robuſtos effecit,ad exitium interitúmq. Chriſtianę Libertatis concurriſſe dubitamus? Quid ſi ne quidẽ ipſi dubitarunt, quin,primo quoque tempore, novâ armorum facie

cie perterritos, fractos bello Belgas, Britannos veró ſimiliter atque ignavas ſine robore, ſine animó pecudes ferro trucidarent? Non-ne hæc una mens omnium, hęc una vox de Britannis fuit, Proficiſci ſe contra hoſtem inſcientem armorum, inſuetum laboris, otio, mollitia, voluptate effeminatum, qui non modó vim & impreſſionem ipſorum, ſed ne vultum quidem adſpectúmque ſuſtineret? Quid multa? in tantã Britannia contemtionẽ venerat Hiſpanis, ut victoriam inter ſe quaſi partam gratularentur; ut anteſignani principatus ſibi, præfecturas, magiſtratus definirent; ut ceteri prædones inter ſe domos optimas, hortos, bona fortunáſque omnium diſpertirent: ut omnes, non quâ ratione conſequi, ſed quo pacto frui victoria poſſent, cogitarent. Niſi veró ſi delicatos illos & illuſtres barbaræ Nobilitatis nepotes, qui numquam in ſolem pulverémq. progreſſi ſic in umbra & deliciis delituerant, ut vel ſoli inter Mauros populares ſuos conſpicerentur pallentes, ad pugnã potiús atque bellum, quám ad pompã & ludum profectos eſſe arbitraris. Declarant id (ſcilicet) ſummâ arte elaboratæ & pretioſæ veſtes; declarant illæ gazæ, quis majores ipſorum ſecum curvis ex India carinis avexerunt; declarant plurimorum comitatus famulorum, ornata & copioſa ſupellex: nimirum omnia, quæ non ad dimicationẽ, ſed oſtentationem, non ad ſolatium calamitatis, ſed deſiderium voluptatis, non ad certamen victorię, ſed triumphum Britanniæ accommodata fuerunt, ornamenta declarant. Quid illud? quam non habet confidentiam? Effuſiſſimi heluones, qui hereditatem ſuam turpiſſimé conturbarant, ex Hiſpania, ex Italia, ex Gallia in Advaticos Morinóſque, tamquam ab paſtum mendicitatis ſuæ, confluebant. Qui, cúm Britan-

tanniam animo jam expugnatam haberent, nihílque egestati ſuæ defuturum putarent, ita magnificé ob ora hominum incedebant, ut faſtum illorum atque ſuperbiã ipſius Principis modeſtia permoleſté ferret. Hic Morinorum vicem, qui hæc intueri quotidie & perferre debuerunt, quis non meritó doleret, niſi ii eſſent, qui rerum novarum ſemper ſtudioſi barbarorum inſolentiam tolerare prius duxerunt, quám fortiſſimorum & prudentiſſimorum virorum obtemperare virtuti? Sed ad rem. Ergo cúm illi tantâ voluptate jam tum fruebantur, ſpe Regionis illius, quam, non dico, necdum invaſerant, ſed ne viderant, ne quidem umquam antehac cogitarant; quanto gaudio te, Philippe, qui commoditatem illius & opulentiá perſpectam habebas, ad quem unum omnis victoriæ fructus redundabat, quantâ, inquam, lætitiâ te exſultaſſe dicemus, cúm Claſſem illam tuam tanto temporis ſpatio, tot laboribus tantóque ſumtu perfectam, Deorum omnium atque Dearum numine, aris atque focis, ſanctiſſimis PAPÆ votis procuratam, exercitu Hiſpanorum veterano, remis, velis inſtructam, ſummâ ſpe, maximis animis & ſecundiſſimo vento inflatam, ad aureã BRITANNIÆ Periſcelidem non jam ire, ſed volare oculis tuis videres, Cúm armorum violentiâ tuorum confidens non tantopere victoriam, quã in manibus ſitam non virtus hoſtium, ſed mora temporis differebat, quantopere triumphum de Britannia Belgicáque devicta deſiderares? Et veró, ut aliquam lætitiæ ſuæ & confidentiæ cauſſam habuiſſe videatur: tolle prolixam propensámq. erga nos Divini numinis benevolentiam: videbis certé Remp. in ſummo fuiſſe periculo conſtitutam. ecquando? Tum, cúm omnia nobis adverſa, infeſta, illi optata & ſecunda fortuna

plenâ manu dediſſet: tum, cúm Principes alii vario timore perculſi; alii perniciosâ ſecuritate feré ſepulti, ne altiſſimã quidẽ miſerrimámq. afflictæ Libertatis vocem audirent: tum, cúm prẽter morẽ otiosâ Germaniâ, face Guiſianâ incensâ Galliâ, quietâ partim metu, partim ſpe Italiâ, tũ, cúm indutiis pacatâ Aſiâ, plané ſedatâ Africâ abuteretur Hiſpanus: tum, cúm faventẽ ſibi Cæſarem, addictum Pontificẽ, Guiſios, Sabaudos, Bavaros alióſq. raptores ad nutum arbitriúmq. ſuum paratos haberet Hiſpanus: tum, cúm perpetuâ belli calamitate, diſſenſione, falſa ſpe pacis debilitatos Belgas, non ſatis ad tantũ támq. repentinum terroreẽ expeditos Britannos teneret Hiſpanus: tũ, cúm ſubitó (quæ res improvidas hominum mentes vehementiús percutiebat) illa ipſa Claſſis Itium portũ advolaret, id eſt, clauſtra maris Britannici obſideret, vel potiús fauces Regionis ipſas ſuffocaret. tum denique, cùm ferociſſimus magnitudine rerum geſtarũ Parmenſis exercitus ille, qui victus numquã effugit, ſemper victor, ut illi gloriantur, evaſit, ſignũ unã cum Hiſpanis invadendi Britanniã exſpectaret. qui quidẽ exercitus, ſi (quod & Mattiacorum & Batavorum priſtina in re Navali virtus impediebat) ſe ad Claſſem adjunxiſſet, quaſi ſexaginta milia hominũ (ô vires invictas!) coacta fuiſſent valentium. Ne tum quidẽ erat, quód & Reſp. impendentẽ ſibi cladem timeret, & maximã victoriẽ ſpem præ ſe ferret Philippus? Si C. Cęſar ſemel atque iterũ, ex eodẽ Itio portu tranſmiſſione facta, aſperrimã jam tum belli ſtudio Inſulã feliciſſimé, ut ille feré omnia, devicit; quid erat cauſsę, cúm illius factũ imitaretur Philippus, cur non ejuſdẽ ſibi fatum ſperaret? Ac videte quantúm inter Romanũ illum & hunc Hiſpanũ interſit: Ille cum paucis navibus, nec ita firmis, cũ militum

militum manu mediocri, contra fortes viros, voluptatis, mortis contemtores, Hic cum valdiſſima Claſſe, cum duplici veteranorũ exercitu, in molles, uti in animum inducebat ſuum, & ignavos ire contendebat. Verúm O cogitationes inanes! O ſpes fallaces! O irritos Tyrannorum conatus! Victi ſunt ii, qui victoriá pro certo habebant: vicerunt ii, qui difficillimum horrebant exitum belli. Victi ſunt ii, quibus nihil deerat ad vincendũ: vicerunt ii, quibus erant omnia, præter ſpem & virtutẽ, ademta. Victi ſunt ii, quos cuncti victores, vicerunt ii, quos nulli non victos credidерunt. Hancine fortunæ varietatem tibi, qui toties victor, ubi te oppreſſum oportuit, evaſiſti, eventurum putaſti? Numquam tibi in mentẽ venit, Nuſquam minús, quám in Bello principiis eventa reſpondere; Ancipitẽ eſſe variúmq. Martem, qui ſæpe jam exſultantem ab afflicto, victorem a victo, ſpoliantẽ ab abjecto propulſarit? numquã a principio facinoris tui conſiderare potuiſti, Nulli æqué iratum eſſe Deum, atque illi, qui in ſummo felicitatis gradu collocatus ſervare Potentiæ modum nequiret? niſi forté, quód te Deus hactenus non punivit, eó violentiæ tuæ favere cogitaſti. falſa tua te & nefaria perſuaſio fefellit, decepit, eluſit. Iacet conſilium; jacet conatus; jacet illa, quâ Mare, Terram, Cælúmque terrebas, CLASSIS. Hæc quæris quis fecerit? DEVS. Quare per eumdem Deum Opt. Max. præſidem Patriæ noſtræ, auctorem hujus Victoriæ, ut laudem omnem Divinæ ipſius potentiæ & benignitati adſcribamus, quem ad modum res illa tam præclara, tam glorioſa perfecta ſit, videte. Excellens profectó virtus perſpecta fuit conatúſque Britannorum non mediocris, cúm acerrimus aurei Velleris cuſtos Britannus ille Draco ejuſmodi pro-

pter Itium portum flammas evomeret, quarum fumum ardorémque novâ ſpectaculi formâ territi non perferrent Argonautæ. Nec enim Draconem ceteróſque cuſtodes, quos voluptate delinitos dormire putabant, imparatos ſegnéſque offenderunt, cúm & Tiphym ipſum viderent de clavo dejectum Moncadam; & immanem Polyphemum in vincula ruentem Prędonẽ Valdeſium, & Herculem fortiſſimum jam ſubſidentẽ in ignoto & errantem mari Pimentellum. Magna hæc virtus Britannorũ; & multó major, quám infeliciſſimi mortales ſibi perſuaſerant. verúm alia tamẽ, alia vis illa fuit & plané Divina, quæ vires tantas, tam citó, tantúmque robur contrivit. Attollite mentes veſtras, revocate in memoriã, quám in illius exſecratæ Claſſis interitum ipſa inter ſe (qui motus, niſi Numinis impulſu, fieri nullo modo poteſt) conſenſerint elementa. Non & ipſe aër illo tempore, quo lenior eſſe ſalubriórque ſolet, ſubitó pręter morem pręterque naturam gravior fuit & peſtilentior? Quam ob cauſſam? ut miſerrimi prædones, qui perniciem nobis & peſtẽ machinabantur, ipſi peſtilentiâ ſummóque cruciatu obirent. Non Auſter idem ille, quem ſummis ſemper votis expetierant, tantiſper a primo temperatus dum illos advexiſſet, ad extremum ita conſtans vehemenſq. fuit, ut nõ ſecus, ac in acie collocatus, non ſtationẽ locúmq. deſereret, & tantâ vires omnes, quantâ maximâ poſſet, contentione proflaret? Quẽ ad finem? ut Argonautas in altũ proveheret, provectos reditu intercluderet; intercluſos ad Septemtrionẽ uſque, unde numquã redituri eſſent, diſſiparet. Non ipſe Oceanus, qui merces omnes atque onera ferre referre conſuevit, nunc quaſi importunã indignatus audaciam, tantos continenter fluctus volvebat,

ut ipſæ

ut ipſæ illę Naves, quę frangi non poſſe videbantur, aut illiſæ ad ſcopulos, aut obrutæ undis perirent? Quâ de cauſsâ? Ne, ſi quam ad terram appuliſſent, egentes prædones naufragia inſtaurarent. O ſpectaculũ non modó hominibus, verúm etiam litoribus ipſis atque undis jucundũ, Vaſtatores raptoréſque Orbis ſub frigido & ignoto peruſtis ſole Mauris Aquilone, ſcopulos inter & rupes, in horrenti vaſtóque mari aut fluctibus immerſos, aut aſperrimis affixos ſaxis, aut prę mœrore ſquallidos & exanimatos videre. Quoties Venerei nepotes illi, qui deliciarum cauſsâ Claſſem conſecuti erant, ſtultitiã miſeriámque ſuam deplorarunt! quoties exercitati gladiatores ſe ut ignavos, ut timidos objurgarunt, qui, cúm in Indiâ aliiſque in locis potuiſſent, depugnare dubitarint! quoties ductores ipſi & ambitioſiſſimum conatum, & ſtupidiſſimos Deos Deáſq. ſuas, & potiſſimúm Depulſorem tempeſtatis Chriſtophorum deteſtati fuerunt! Nam quæ mens illorum fuit? qui ſenſus? quæ cogitatio cúm omnes theſauros, omnia ventoſæ Barbariæ inſignia, omnes Aſiaticas Indicáſque gazas funditus interire, Cúm Deos penates ipſos, patronos defenſoréſq. Claſſis (erant enim de ligno facti leviores) in ſummo mari natare, Cúm & ipſum archipiratam, cujus antea ſpiritus animóſq. vix univerſa Claſſis capiebat, abjectũ, fluctu marino luctúque tabeſcentem, pauciſſimis, ut olim XERXES, comitatũ navigiis reditionem in Hiſpaniam moliri viderent? O ventos feliciſſimos, qui diruptos dirutóſque naufragos divexarunt: O beatiſſimas undas, quæ disjectos animámq. efflantes abſorpſerunt: O fortunatiſſimum ſolẽ illum, qui, quotieſcunque proſpexit, novos quottidie aut in undas projectos, aut in litus ejectos conſpexit Hiſpanos. Sed quorſum

hæc ego? uti omnes mortales te, DEVS, tanti támq. glorioſi facinoris auctorem eſſe fateantur: te laudent; nomen tuum extollant. Tu enim, tu primúm terrorem hunc illis amentiámq. injeciſti, ut remis illis atque velis, quæ ad victoriam præparata erant, turpiſſimæ ſe fugę mandarent: tu deinde ventis fluctibúſque commotis, ut neque victoriam glorioſam, neque mortem honeſtam, neque fugam ignominioſam haberent, feciſti. Quamobré Gaudemus crudeliſſimos Hiſpani conatus retardatos? Deus retardavit: Latrones illos, qui ſanguinẽ haurire noſtrum ſummé cupierunt, repreſſos? Deus repreſſit: Gaudemus nos, parentes, liberos, conjuges ſervitute, morte, cruciatu liberatos? Deus liberavit. ille (ut uno ſpiritu concludam, ne rem tantam, quantã nemo cogitatione conſequetur umquã, oratione videar voluiſſe complecti) hoc exitium, hanc infeſtã funeſtámq. Claſſem fugâ incitatam, morbo debilitatam, agitatam procellis, jactatã Oceano profligavit, fregit, diſſipavit. O facinus immortalitate dignum: O laudem uni, uni, inquam, Deo tribuendam: O glorioſam felicitatem illorum, quibus hanc de HISPANO victoriã Deus & ſua virtus donavit. Te, ELISABETHA, cúm antea beatiſſimã optimus quiſq. prædicabat, quę florentiſſimam poſt hominũ memoriam Regionẽ per tot pericula, per tot procellas Æoli Romani atque tẽpeſtates ſenili prudẽtiâ, virili animo, Heroicâ conſtantiâ ad Dei Opt. Max. gloriã, ad ſubditorũ ſalutẽ, ad dignitatẽ tuã gubernaſti, Tũ veró hoc tẽpore cuncti mortales, hoſtes etiã ipſi in unã te ora ſua oculóſq. convertunt; Te ſuſpiciunt; Te dignã â Deo immortali judicatã eſſe dicunt, quę formidoloſiſſimũ Orbis-terrę hoſtẽ abjectũ ad pedes pęne tuos & proſtratum videres. Et certé ſi virtus, ſi labor,

ſi peri-

ſi periculum præmia merentur, eccui Deus Victoriæ tam prę clarę poſſeſſionẽ conceſſiſſet, ſi tibi, quę minas Hiſpani inſidiáſq. Romani conſtantiſſimé contemnis, non conceſſiſſet? Quoties enim iſtud ſanctiſſimũ caput tollere veneno, quoties circumvenire proditione, quoties opprimere armis tẽtarunt, toties virtus, toties prudentia, toties fata tua ſuperarunt. Quare cúm virtutes laudéſque tuas poſteritas admiratura fuiſſet, tum etiam nunc æternitas ipſa obſtupeſcet fortunam audiens legénſque tuam, Quæ prima de tot tantarúmque gentium victore digniſſimum lętiſſimo ſuperúmque hominũmque plauſu peregiſti triumphum. At tu, Philippe, quouſque tandem abutêre potentia tua? quamdiu nos iſte tuus furor terrebit? quem ad finem effrenata tua regnabit audacia? Si te ſimillimorum tui ſupplicia non flexerunt, ne tempus hoc quidem ipſum, ne tua te fortuna flectet? ubi, ubi eſt tua CLASSIS? ubi ſumtus? ubi labor? ubi viri? ubi arma? ubi Duces? Submerſi. Et tu non Cælum, non Mare, non Ventum, non rerum Naturam, non Deum tibi & eſſe, & futurum inimicum ſentis? Veniet tempus, & illuceſcet aliquando dies ille, Cúm graviores, quám dediſti, ſive vivus inter mortales, ſive mortuus ad inferos, ſive apud utroſque potiús pœnas expendes. quid dico? expendes? quid ſi faces Ambitionis, Quid ſi morſus Avaritiæ, Quid ſi ſtimuli Improbitatis tuæ te fodiunt, te lacerant, te cruentant quottidie? Deſiſte ferrum flammámque minitari; deſiſte bonis mortem, liberis Servitutẽ intentare. &, cúm omnes infeliciſſimos fuiſſe Tyrannos, Tum veró tibi graviſſimum impendere exitium recordare. Nunc tibi florentiſſima terrarum BRITANNIA (etſi nihil mali pertimuiſſes, dum ELISABETHAM tam-

quam

quam Palladium quoddam, quo ſalvo, ſalva permanebis, cuſtodires. eſt enim illa diva hoc procreata fato, ut, ubicunque nata foret, ibi pax eſſet, ibi Libertas futura) eam potiſſimúm ob cauſſam gratulabor, Quód te Reginæ auſpiciis antea tutam, nunc hâc exſtinctâ peſte multó tutiorẽ conſpiciam. confirmavit enim animos civium tuorum Terror ille, non debilitavit. Quid enim ego de hac tanta concordia, quantam feré numquam meminimus, de hoc tanto conſenſu dicam? Omnes idem defendunt, idem volunt, idem ſentiunt, Tueri Patriam, defendere Libertatem, vindicare Salutem. Ita hominum animos conſociavit imminentis periculi magnitudo. Te, BELGICA, quam ad hunc uſque diem ſumma Ordinum cõſtantia, quam magnanimi Principis Aurantii (quod ego firmamentũ Reip. ornamentum dignitatis cum honore nomino, nominare ſine dolore non poſſum) divina virtus ſalvã incolumémque conſervavit, Te turbulentiſſimis belli fluctibus miſeré vexatam exorta hæc ab Occaſu procella oppreſſiſſet. Itaq. te felicem eſſe beatámq. exiſtimo, quæ portũ ſalutis & Libertatis tuæ hoc turbine, hac tẽpeſtate tenere potuiſti. Ad extremum vos, Liberæ ORBIS CHRISTIANI Regiones atque Reſp. quarum felicitas omnis ad extremum redacta diſcrimen ſummo periculo liberata eſt, etiam atque etiam fortunatas eſſe duco. Nam quę cura, quæ vigilantia erat eorũ, qui ſalutem propugnare veſtram debebant? hærebant omnia aut ſecuritate neglecta, aut timore interrupta. Et cúm e tantis erepta anguſtiis ſalus veſtra ſit, ea vota, quę nuncupare ſoletis pro incolumitate, Conſervatori Deo non perſolvetis? Nequeo commemorare, quantum gaudium, quantáque lætitia fuerit eorum, qui Chriſtianorum nomine con-

ne continentur, Tum, cúm Iohannes Auſtriacus nothus ille, Belgis ob perfidiam inſignem non ignotus, Turcarum claſſem claſſe deviciſſet: verúm id tamen intellexi, tantam per univerſam Europam pervaſiſſe lætitiam, uti nemo Chriſtianorum numero haberetur, qui nõ palám & aperté ſtudium gaudiúmque ſuum oſtentaret. Etenim quis, niſi deterrimus quiſque, non gauderet, cúm hoſtes Chriſtianæ Libertatis repulſos eſſe rejectóſque audiret? At quis paullo modó prudentior id tempus plangore potiús tranſigendũ fuiſſe, quám plauſu ignorat, Si modó Hiſpani ortum noſtrum interitum, illius victoriam cladem noſtram, illius incrementum potentiæ noſtræ Libertatis detrimentum fuiſſe intelligat? Quid ergo? Victos Chriſtianos, Turcas victores volumus? Nihil minús. ſed Hiſpani Potentiam hâc victoriâ corroboratam dolemus. Quid ita? Quia vehementiús nobis Philippus, quám vel ipſa Turca metuendus. Cur? Quia propior hoſtis eſt, quia infenſior, quia perniciofior, quia aſtutior quia Chriſtiani nomen præ ſe ferens ad fallendum nocendúmque paratior. Quare tu (univerſam appello EVROPAM) quæ Servitutis dedecus, tormenta mortis non virtute tua, ſed felici Britannorum Belgarúmque ſorte, effugiſti, Si quando fruſtra & malo tuo gaudium agitaſti, cúm Hiſpanum tectiorem illum quidem, ſed infenſiorem tibi, quám Turcis, hoſtem Navalem reportaſſe victoriam audires, Ecquam tandem Deo gratiam referes, ecquâ lætitiâ exſultabis, cúm eumdem Hiſpanum Libertatis tuæ inſidiatorem in foveam incidiſſe, Cúm machinas omnes in perniciem fabricatas tuam in auctorem ipſum cernas & caput ſceleris redundaſſe?

NVNC verò vos, Principes Orbis Christiani, qui pro ea Potestate, quæ commissa vobis est omni excubare curâ debetis, Vos, quorum in Regna atque fortunas jam diu cum infinita Cupiditate mentem oculósque intendit Hispanus, Vos denique O patroni defensorésque Libertatis, Servitutis inimici atque hostes per Deum immortalem, per Patriam, per liberos, par parentes, per si quid vobis carum aut gratum esse vel potest vel debet oro atque obtestor, Respicite aliquando Remp. respicite subditorum incolumitatem, respicite dignitatem vestram. Videtis-ne quo pacto multos jam annos Hispanus regnare cogitarit, quám propé, quod meditatus erat, effecerit, quantopere contra Britannos Belgásque pugnans Libertatem vitámque omnium vestram oppugnarit? Cur enim Belgicam, cur Britanniam præ ceteris delere contendit? quód eas sibi Regiones solas inimicas haberet? Toto, si creditis, erratis cælo. ad Regnum Ambitio, ad opulentiam anhelat Avaritia. verúm illud erat, Quód salvâ Belgicâ, salvâ Britanniâ vos non posse permanere non incolumes videret. siquidem Belgæ atque Britanni hactenus iter aditúmque ad vos corporibus suis obstruxerunt; superbissimæ Dominationi impedimenta objecerunt; crudelissimum, quod universæ Europæ imminebat, exitium averterunt. Nam quod genus supplicii vobis, quod calamitatis recusandum fuisset? Vos spes atque metus anxios, insolentia armorum sollicitos, discordia impeditos habuisset: ille ab exercitu, a Classe paratus in fines vestros irruisset, diripuisset fortunas, cecidisset armatos, ceteros omnes in servitutem tradidisset Hispanis. Hæc igitur, quæ, parum aberat quin contingerent, si accidissent, quos fletus,

quas

quas voces, quos ploratus audiremus! Nunc quotuſquiſque reperitur, qui illud periculum fuiſſe ullum putet? qui indignitate audaciæ ſe moveri oſtendat? qui terrâ marique, equis, velis Hiſpano occurrat? Si quis membra morbus afflixit, in poſterum diligenter cavemus: & Hiſpanum, qui non latus, non ventrem, ſed caput, ſed jugulum petit, jam furentem & ictum repetere molientem feremus? Videlicet ut quidam ſtupore ſenſus dolorem non ſentiunt, ita nos, niſi plané moriamur, nos ægrotare neſcimus. quod vereor, vereor (utinam Deus immortalis obruat & deteſtetur hoc omen) ne quando ſed ſeró, ſed illatâ letali plagâ, ſed ſanguine ſpiritúque perfuſo ſentiamus. Neque enim, ſi, quod voluit, non perfecit, deſperatione debilitatus deſiſtet. non: ſed irâ ardens ad ultionem, ad pœnam omnes & ingenii & totius Regni vires profundet. Nihil eſt, quód hoc eum vulnere efflaſſe animam putetis. alius eſt hoſtis Hiſpanus. ut cadat, vulnera, vulnera imponenda ſunt. Quod niſi hoc tempore faciamus, amiſſam in poſterum occaſionem fruſtra requiremus. Nunc ſi, Principes vos præſtare viros voletis, occumbet Hoſtis; vincetis vos: ſin ignaviam præferre fortitudini placebit, vos vincemini; & is, quem jam pridem ſuccubuiſſe oportebat, regnabit Hiſpanus. hoc ne fiat, opus eſt virtute, opus eſt viris, opus eſt armis. Quapropter, cúm vicinorum ſalus veſtra ſalus, illorum pernicies veſtra pernicies ſit, uná cum ſociis, QVOD FELICITER EVENIAT, Deo adjuvante, ſumite ſaga, edicite juſtitium, decernite bellum; ne quid Reſp. detrimenti capiat, videte. cogit periculum, cogit illa, quæ timidos etiam fortes facit, Neceſſitas. Siquidem hæc vobis tria hoc rerum ſtatu reſtant, præterea

nihil (nàm ſervire & mori extrema ſunt omnium) ut aut unuſquiſque veſtrûm contra vim ſe ſuóſque defendat; Aut pacem otiúmque agitet; Aut uná cum ceteris vincat. At Libertatem disjuncti tueri non poteſtis: Tranquillis vobis eſſe non licebit. quid ergo ſupereſt? uno conſenſu eſt retinenda Libertas. Cur igitur effrenatam Hiſpani violentiam niſi conjunctis viribus refrenari, Cur pacem impetrari poſſe negavi? quia Potentia, quia Avaritia, quia tranquillitatis inimica repugnat Ambitio. Quid enim ego de Potentia dicam, quæ Chriſtianorum Principum, ſive timore, ſive favore ſic magis magíſque invaluit, ut illis ipſis Hiſpaniæ Rex, a quibus per contemtum ſolet appellari Caſtellanus, terrori ſit & exito futurus? Quid? non Hiſpaniam, cujus aliquando vix partem tenebat, jam univerſam occupavit Caſtellanus? certé tota ipſius eſt imperio ſubjecta, immo veró pacata; pacata autem? quid ſi contra Libertatem omnium veſtram inſtructa atque armata? Non Siciliam atque Sardiniam inſulas ad terminos Tyrannidis ſuæ proferendos commodiſſimas ſervitute tenet oppreſſas Caſtellanus? Non pulcerrimam Neapolim illam totámque Campaniam ſua capeſſere juſſa coëgit? Non Mediolanum quaſi firmiſſimam Itali Martis arcem obſedit Caſtellanus? Luſitania veró quám lata eſt, quám fecunda, quám portuoſa! ut & varietate rerum earum, quæ exportantur, & magnitudine vectigalium, &, quod maximum eſt, maritimorum opportunitate locorum omnibus perfacilé terris antecellat. & hanc Regionem, Regionem dico? illos Portus, illas inſulas, illa ſecundum mare Caſtella, quæ tua quondam Emmanuel, divina fortuna invenit, multus variúſque labor obtinuit, perpetua diligentia

gentia

gentia cuſtodivit, paucis, non dico, annis, ſed menſibus immanis heluo devoravit. O gurges! O vorago! non implacata Scylla, non vorax Charybdis, non Oceanus mediusfidius univerſus, ſi terminos finéſque ſuos eviciſſet, tot maris Sinus, tot tantáſque Inſulas, támque diverſas tam citó abſorbere potuiſſet. Quas ille præterea Europę Civitates, quos Sinus, quos Portus quám multos tenet, quám firmos? uti non modó omnem intra Oceanum terram, verúm etiam ipſum coërcere Oceanum velle videatur. ne multa. Quam in cæli partem mentem oculóſque converteſ, quam ille Terror non pervaſit? Orientem adſpicis? tenet Hiſpanus. deſpicis Occidentem? tenet Hiſpanus. ſpectas Meridiem? tenet Hiſpanus. intueris Septemtrionem? tenere conatur Hiſpanus. ſed inepti ſumus, qui partes unius Mundi numeremus: certé Mundos (quod per Hiſpanum dicere jam licet) Mundos nominemus. Quid? non & Veterem magnâ ex parte, & Novum hunc pæne univerſum in poteſtatem redegit ſuam? In quo, quám veré ſe Hiſpanum geſſerit, quid attinet a me explicari vobis, cúm & ipſi hinc uſque lacrymabiles audiatis voces Indorum! ſed, illud modó ut dicam, veritas ipſa mihi quaſi manus injicit. homines æquitate innocentes, liberalitate benignos, obſequio ſupplices ſpoliavit fortunis: urbes, agros, domicilia vaſtavit; Regionem univerſam incolarum (gemo vicem illorum) incolarum madefecit cruore. Ita-ne Indi, non digna ferentes, manſuetudo veſtra intolerabilem faſtum ſuperbiámque toleravit? veſtra benignitas inſatiabilem auri famem argentíque ſaturavit? veſter denique cruor inexplebilem ſanguinis ſitim explevit? Non altiſſimum illud, non latiſſimum mare interjectum, aut

immenſas Avaritiæ fauces impleviſſe, aut flagrantis Ambitionis reſtinxiſſe incendium! Videte, quam Terram, ut ab armis tutam conſervaret, ipſa tamdiu Natura occultarat, hanc Hiſpanus inventam (quis Ambitionem Avaritiámque non deteſtetur?) invaſit, diripuit, devaſtavit. Laté quondam Perſæ, laté Macedones, latiús Romani, latiſſimé hactenus regnavit Hiſpanus. Magnam illi Orbis, ſed tamen unius Orbis partem devicerunt: hunc veró Novum an imperio? an fama? an nomine tenerunt? Deſine jam, Philippe, Aſiæ, Africæ Dominator appellari: Amborum te appella, ſi ita vis, Horrorem Mundorum. &, quod obſcuré dictum, NEC SPE NEC METV, præ te ferre conſueſti, jam nunc licet altâ voce exclames. quid enim ſperes tu, qui propê ſis omnia, quæ cupis, conſecutus? quid timeas, qui neminem præ te potentem exiſtimes? An veró Principes (quod mehercule magnum quiddam, atque adeo maximum eſt. nullum enim ſine opibus bellum, permulta ſine magnis geſta viribus fuerunt) an fugit vos, quantúm ærario valeat, quos habeat ſtipendiarios, quos vectigales? Deus immortalis! quas ille é Campania, Sicilia, Inſubria, ex Bętica, ex Terraconenſi Hiſpania, ceteríſque locis exactiones, quám gravia é Luſitania, ſuperiori India, ex plurimis præterea Inſulis vectigalia, quantos ex India illa, quæ numquam exhauriri videtur, theſauros exportavit! Verumtamen, dicas Incerta, fluxa, caduca eſſe omnia; Non fore diuturnam poſſeſſionem, in quam vi ſe ferróque induxerit. certé. cúm enim omnino homines naturâ Libertatis amantes ſunt, tum illi tolerare Servitutem difficillimé poſſunt, qui dulcedinem deguſtare Libertatis potuerunt. Itaque ſæpiſſimé

Pœni

Pœni, nonnumquam Græci, frequenter Galli, maximé verò Hiſpani (vellem hoc odium Servitutis omnibus ineſſe nobis putarent) graviſſima cum populo Romano & periculoſiſſima belle renovarunt. Ergo id accidit Romanis, Hiſpanis non continget? nec contigit, nec etiamdum contingit. An igitur prudentiores, an fortiores Romanis Hiſpani? Id verò non auſim confiteri. ſed, Ne malé parta malé dilabantur, minús benignos, avariores ſe prębent. &, quod diffiteri nemo poteſt, *Hiſpani* ut ambitioſi naturâ ſunt & avari, ita plerumque impigerrimi habentur: In conſilio prudentes, in negotio celeres; contemnentes periculi, patientes laboris; in victoria ſuperbi, in calamitate pertinaces: ſecundam fortunam magis ſperant, quám metuunt adverſam: majori ſibi moleſtię deſidioſum otium eſſe quám negotium laborioſum putant: numquam nec ipſi quieſcunt, nec aliis quitem concedunt. eo deniq. ingenio ſunt, ut imperium vehementer acquirant; acquiſitum, quoquo modo poſſint, defendant. Hi populos etiam perinivitos in officio (quamquam iſto quidem verbo abutor) in Servitute continere conantur; hi potentiſſimæ cuique civitati milites frenóſque Libertati imponunt; hi nervos ſubditorum, ut corroborari non queant, graviſſimorum exactione tributorum incîdunt. Nam quæ civitas copioſa eſt, quam illi non aliquâ arce obſederunt? aut quam illi civitatem arce obſederunt, quæ copioſa non eſt? Ita Caſtella, quæ ſubſidia ſalutis eſſe conſueverunt, nunc ut obſidia Libertatis collocantur. Numquid igitur belli inteſtini eſt? numquid tumultus? numquid diſſcidii? nihil. Etſi enim durum eſt miſerúmque ſervire, nihil tamen provinciales moliri audent illi, qui Hiſpanum non gravioribus

vioribus diſtrictum bellis animadvertunt. timent autem, Si hoc tempore ſoli vincula Servitutis rumpere conentur, Ne derelicti a ceteris non adſcenſum ad Libertatem, ſed duriorem ad exitium ſuum ſibi parent, ruinam. Quamvis enim ſervile jugum dejicere jubet fortitudo, diſſuadet tamen, niſi aliquâ ſpe recuperandę Libertatis oblatâ, prudentia. Mitto, mitto jam armatos bene multos: numeroſum peditatum, equitatum bellicoſiſſimum, ne ferocem quidem victorémque in Belgis exercitum commemoro. quid veró? quos ſibi ſocios, quám potentes, quám multos habeat, ignoratis? Adſpicite Pontificem Romanum, qui jam non Gallis, non Italis, ut ſæpe, ſed Hiſpanis addictus Religionem non modó ſuam, verúm etiam Philippi promovere Ambitionem contendit. Ille tamquam hominum Deorúmque Imperator arcem Capitolinam ſibi ſedem delegit, ex qua univerſam & contemplatur & gubernat Italiam: ille Principes alios a bello contra Hiſpanos fulmine prodigiiſque deterret; alios ad ſocietatem ſceleris divinâ quadam face ſui numinis incendit: ille (ne quid tecté dicam, orationem retexo) cruentis conſiliis armatam armat Tyrannidem; flagrantem inflammat Ambitionem: ille velut egens & improbus Laniſta, ut luxuriam prædâ, immanitatem cæde paſcat, Hiſpanos robuſtiſſimos omnium gladiatores cum ceteris Chriſtianæ Reip. Dynaſtis crudeliſſimé committit. Itaque non ſine cauſſa Italia, quę perpetuis exercitata bellis, arma finitimis, cladem Hiſpanis, timorem omnibus inferre conſuevit, tam pacata támque tranquilla, vel potiús, ſi verum fateri fas eſt, ita perculſa atque proſtrata jacet. Cur enim ab ſe ipſa deſcivit? cur bella nulla gerit? Cur? Armorum cauſſæ deſunt? immo

veró

veró ſuperſunt. Quid igitur? Minas & fulmina Iovis & Hiſpani vires extimeſcit. videt a fronte Mediolanum, a tergo Campaniam, ſecundum ventrem Siciliam, in viſceribus ipſis Pontificem Romanum, ſe veró tot tantíſque propugnaculis circumſeſſam, ut ne brachia quidem movere poſſit, niſi utrumque latus Hiſpano gladiatori nudum præbere apertúmque velit. Quid veró? Sabaudus: quid ille, qui ſecundum Pontificem familiam ducit, Guiſius, num contemnendus videtur? Hic raptor hic eſt, qui tibi, beatiſſima quondam Gallia, nunc omnium (O variam flexibilémque fortunam!) calamitoſiſſima, tot plagas, tam mortiferas, auctore Philippo, fautore Pontifice, inflixit; ut eadem illa tu, quæ nationes perſæpe exteras terrore imperii cohibuiſti, plurimis confecta vulneribus jam jam moritura videaris. & hęc Galliarum Rex ipſe videt: videt? immo veró, ſive ſpe ductus, ſive metu coactus, connivet. Miſeret me tui, O REX, (quamquam quo te nomine appellem neſcio. Regem? at Guiſius regnat: ſubditum? at nomen Regis obtines) miſeret me tui, qui vaſtitatem Regionis, direptiones civitatum, incendia domorum, optimorum ſanguinem civium ſpectes quotidie! ut quid? Ipſe tandem aliquando ſervias, dominetur Hiſpanus. Cujus ſcelere? Illius, quem ipſe aluiſti, auxiſti, armaſti. Non poſſum jam præterire ſilentio (movet me quippe ſalus Germaniæ) alterum pæne Papam, inexpiabile illud facinus Bavarum: qui, ut Iovi Capitolino ſacrificaret, adhuc ſacra, nunc, ut Caſtellano Marti immolaret, etiam arma tractavit. In quo non tam illud demiror, qui veſtem puram geſſit, quonam is ore ſagum ſumſerit, quám illud, qui arma tulit, quâ impietate ad rem divinam redire auſus fuerit.

nam utrumque neſcio quid inexpiabile videtur. Et tu, qui é tanto bello & tam recenti cæde digreſſus es, deſerta abs te ſacra iterum attrectari non nefas, non ſcelus, non piaculum eſſe ducis? ſed hoc tibi concedere facienti debemus, qui vivo te flumine totum abluiſti. verumtamen, extra jocum, haſtatus hic Sacerdos tranquillitatem Reipub. perturbare, fundamenta Imperii evertere, optimos quoſque de ſtatu deturbare conatur, immo veró veſtrum, Proceres Germanię, Collegam (heu dedecus Germanorum!) præſtantiſſimum virtute virum, eaque re meliori ſorte digniſſimum in conſpectu veſtro, de dignitate, impune deturbavit. Ita-ne Pontifex Italiam, Sabaudus, Guiſius Galliam, Germaniam Bavarus, Africam, Aſiam, Europam, Orbem terrarum Hiſpanus & tot jam annos vexavit, & niſi viri ſimus, crudeliſſimé vexabit? An hos ego, quos omnes inter ſe idem ſtudium & tæterrimę naturæ ſimilitudo devinxit, non ſocios, non affines, non germanos appellem? O præclaram illam aptiſſimámque natam poſt homines natos ſocietatem, ſed Libertati, ſed ſaluti noſtræ pernicioſam! ut enim ferociores belluę ſummâ naturæ vi in beſtias imbecilliores feruntur, ſic etiam hos adverſus innocentes animorum eadem atque morum immanitas arctiſſimé colligavit. Prætermitto jam ceteros. ſunt enim innumerabiles. duces modó exempli cauſsâ nominavi: utinam omnes: eſſet periculum, ſed apertum, eóque minús formidandum. nam adverſum deprimere hoſtem fortiſſimus quiſque nullo negotio poteſt. verúm intus intus eſt Equus Trojanus, qui vos, Principes, niſi vigilatis, niſi armis animíſque excubatis, dormientes & imparatos invadet. Habet Hiſpanus emiſſarios in Regionibus veſtris, exploratores in Republ.

prodito-

proditores in Conciliis, qui muros veſtrorum & fundamenta Regnorum perfodiunt, quó faciliús ariete percuſſa collabantur. Nam ſi morbum jam latentem ignoratis (in quo cúm re miſeri eſtis, tum etiam hoc ipſo, quód miſeriam non videtis) ſi doloris nihil, nihil infirmitatis ſentitis, at tumor ille, qui jam in corpore Regni increſcit, occaſionem & maturitatem nactus de improviſo, vellem ſine interitu veſtro, ſed quoquo modo fiet, non ſine ſummo, niſi providetis, periculo mortis erumpet. Conferte nunc, O Principes imbecillitatem cum potentia, inopiam cum opulentia, cum timore audaciam, cum diſſenſione concordiam, imperitiam cum prudentia, ignaviam cum vigilantia, Intelligetis profectó illis, qui per ſummum ſcelus vim & arma minitantur, exploratam imminere victoriam: vobis, qui ſummo jure illatam propulſare injuriam debetis, Servitutem impendere ſempiternam. Ego ne igitur cuncta ſupereſſe Hiſpanis, vobis deeſſe? minimé. magna vis, magna potentia, magnum, ſi concordes ſitis, Concordiæ numen. ſed, poſteaquam alii pugnant, alii modó ſpectant, fractos eſſe nervos virtutis dico. Quod cúm ita ſit, ſperatis vos, Principes, niſi uno conſenſu perinde ad arma eatis, quaſi ſumma Reſp. quę agitur, agatur, pares hoſtibus futuros? Fallit opinio. niſi forté, quod fieri per ipſam rerum naturam nullo pacto poteſt, Bellicas virtutes omnes omnibus poſſe vitiis ſuperari putatis. Nunc quod ſupereſt. utrum vobis eſſe quietis per Philippũ licebit? Id veró videamus. Ille igitur otioſos eſſe vos patiatur, qui naturâ, moribus, diſciplinâ Hiſpanus eſt? qui Servitutem pacis, vaſtitatẽ quietis nomine appellat? qui Libidinem regnandi bellandi cauſſam? qui maximum imperium maximam gloriam

putat? Ille tranquillitatem vobis ullam concedat? Non eſt, non eſt is, mihi credite, Philippus. nec, ſi eſſet, eſſe illum Avaritia, eſſe pateretur Ambitio. hæ duæ peſtes calamitoſum miſerúmque hominem neque noctu neque interdiu deſerunt; diſcruciant ſemper; torquent acerrimé. Quid enim eſt aliud Ambitio, niſi ſcelerata & pernicioſa imperandi Cupido, quæ, dum ſola dominetur & regnet, non genus humanum, non arma mortalia, non ipſum ultorem injuræ Deum pertimeſcat. Et cetera quidem mala ſenſim, aut ſponte ſuâ langueſcunt, aut vi minuuntur: hæc pernicies, ſi quando ſerpere incępit, nullo pacto deleri poteſt, nulla ratione exſtingui. Non longitudine dierum deficit? plúſque præter naturam rerum aliarum invaleſcit. Non obſequio, non humanitate mitigatur? at veluti ignis arreptâ materiâ fovetur. Non ſupplicii, non pœnæ metu deterretur? tamquam altiſſimus rapidiſſimúſque aggerem fluvius, vincula Legum judiciorúmque perrumpit. Igitur coërceri non poteſt? certé, niſi fax illa primo quoque tempore tota obruatur, tantum derepente concitabit incendium, quod non civitas una, non Regio, non Orbis terrarum, non Oceanus ipſe reſtinguat. Quod veró portentum peſtilentius ſecundum Ambitionem excogitari poteſt Avaritiâ? quę vorago nec inopiâ exſtingui, nec impleri copiâ poteſt; quæ privatorum fortunas, civitates, Regiones, quæ Maria Terráſque omnes abſorbet. Hæc ſanguinem Ambitioni, hæc vires, hæc nervos, hæc alimenta præbet. concidat enim neceſſe eſt velut enectum fame cadaver, niſi prædis furtíſque Avaritiæ paſcatur Ambitio. Quare ſi nihil tam ſanctè neque Deus ipſe juſſit, neque ratio præſcripſit quod Libido dominandi violare non auſit, nihil

sit, nihil tam magnum nec ipsa procreavit natura, nec humana comparavit industria quod auferre prædandi Cupido non possit. Quis non intelligit his duabus quasi flammis florentissimas civitates, opulentissimas nationes ad interitum cinerémque deflagrasse? Non utar exemplis alienis: mittam antiqua; præteribo remota: certé vel hac tempestate & quidem sæpe non sine dolore videmus fæcem, sentinam civitatis horum contagione malorum leviter adfectam omnes Reip. partes fœdissimé labefactare. Quæ labes si jam imbecilla primúmque nata tantas vires in vilissimæ conditionis hominibus ostendit, Ecquid futurum putes, si jam robusta, si inveterata paullo potentiorem? quid si Principem? quid dico Principem? si magnum etiam Regem, Regem autem? immo veró potentissimum Orbis-terræ Tyrannum, id est, Hispanum invasit? Nam ut mansuetudinem, ut liberalitatem, ut studium rerum suarum Belgis, sic Cupiditatem alienarum, sic Avaritiam, sic Arrogantiam naturâ Hispanis attributam quis non videt? Si flagitia, sic scelera, quæ exstabunt sempiterna, tacerent, non incessus, non vultus, non aspectus, non os illud contumelioſum Ambitionem aperté, Fastúmque indicare, & clamitare viderentur? Vestigia veró rapacissimarum manuum quám multa, quám expressa videmus! quam enim illi Regionem, quam civitatem, quod castellum, quas ædes accesserunt, quas non eversas planè & exersas reliquerunt? agerem pluribus; exempla adferrem, nisi Europam, nisi Asiam, nisi Africam, nisi ambos denique Mundos miserabilem in modum lamentantes audirem. Et cúm ea sit etiam infimorum natura Hispanorum, quid ego de Domino (nam quantó potentia major, tantó est

Avaritia Ambitióque robuſtior) quid de Philippo jam ipſo dicam? quem natura arrogantem, avarum, conſuetudo arrogantiorem, avariorem, potentia & diuturna felicitas arrogantiſſimum avariſſimúmque fecerunt. O defixam altiſſimis radicibus Ambitionem! O inveteratam vetuſtate Avaritiam! Quid enim? quid eſt, per Deum immortalem, quod ampliús de homine dici poſſit, cujus & præcipitem & pernicioſum & dominandi & rapiendi furorem natura conformavit, confirmavit voluntas, opportuna ſceleris fortuna corroboravit? Et quiſquam ignorat, quem hæ faces exagitant, eum id agere, id furere, ut alii jaceant, ipſe vigeat, ſerviant omnes, ſolus ipſe regnet? Nolite dubitare: Res ipſa, quæ fallere non poteſt, voce pæne ſuâ declarat. Et certé, non-ne Poloniam, Philippe, auſus fuiſti (quid enim eſt quod tentare non auſit Ambitio?) non-ne Poloniam voluiſti, cúm proditione nequires, armis invadere? Quid habes quo te defendas? elige utrum velis; Aut fuiſſe te auctorem illius conſilii; Aut ne ſciviſſe quidem. negas? at quo duce, qua ſpe, qua nixus ope tantum facinus moliri cœpit Auſtriacus? an ſuâ ſponte, ſuo Marte? id veró ſperare extrema dementia eſt. cujus ergo hortatu, cujus auxilio? profectó, Philippe, tuo. tu caput ſceleris illius, tu architectus conſilii, tu machinator fuiſti. Scio novum videri & incredibile, quod dico: vetus tamen eſt & verum. diu enim facinus hoc cogitavit: ſed, quod cogitaret, patefactum eſt nuper. id quod pavllo póſt, ut probé videatis, planum faciam. An igitur te auctorem illius facti fateris? quâ ratione? quo jure? illo videlicet, quo Luſitaniam perpaucis anté annis breviſſimo temporis ſpatio tuam feciſti: hoc eſt, in poſſeſſionem Poloniæ tuo more, tuo jure, vi,

ferro,

ferro, flamma pedem ponere tentaſti. Tenetiſ-ne memoriâ, Principes, quám impié ſe, quám ſceleraté geſſerit, cúm Sebaſtianus Luſitaniæ Rex, juvenis & ſpiritu animóque Regio præditus, & meliori avunculo digniſſimus in acie contra Mauros mortem fortiſſimé occubuiſſet? Certé hujus ille cladis, ſi non auctor fuit, cúm præter fidem, quam dederat, bonam militum partem ſubtraxiſſet, at fautor erat tum, cúm victoriam Maurorum imperatori gratularetur. In quo equidem dijudicare non poſſum, utrum fuerit improbior, qui in calamitate, an magis impius, qui victo cognato, an ſceleratior qui inimico Chriſtiano nomini victore tantum præ ſe gaudivm lætitiámque ferret. Sed non potuit homo ſibi imperare, quin vehementiſſimé gauderet, cúm videret Maurum, qui de Sebaſtiano triumphum agebat, id perfeciſſe, ut ipſe brevi, non de Rege, ſed de Regione triumpharet. nec eum fefellit opino. nactus enim occaſionem, Sebaſtiano mortuo, quam, vivo, nullam habuiſſet, Luſitaniam de Rege deligendo conſultantem, cúm litium calumniâ non poſſet, improvidam armis occupavit. Eodem profectó modo, ſed diſſimili omnino ſucceſſu, Poloniam de Electione Regis diſſidentem necopinató eſt opprimere conatus. Quod quidem ipſum, quó faciliús intelligatis, ne fortê aut novum eſſe, aut dubium putetis, rem ipſam paullo altiús, ſed quám potero pauciſſimis, repetam. Defuncto vita imperióque Sigiſmundo II. Polonorum Rege, cúm dies Comitiorum de creando Rege incidiſſet, Hiſpanus Erneſtum Maximiliani Cęſaris filium, hominem ſibi rebúſq. ſuis deditiſſimum omni, quo poterat, ſtudio promovebat. Itaque hic Erneſtus ſuffragiis quorumdã erat omnia, niſi melior.

Proce-

Procerum pars refragata eſſet, conſecuturus. Quamquam & ipſe Selimus Turcarum imperator (cujus etiamſi eſt deteſtanda immanitas, hac tamen in parte laudanda prudentia) ſummam Hiſpani pariter ut Erneſti ſpem, quo ad ejus fieri poterat, evertebat. veritus enim ne, Si ad Poloniæ Regnnm Erneſtus perveniret, Auſtriacorum & potiſſimúm Philippi potentia etiam ſibi, non tantúm nobis, immineret, Pro ſua adverſus Regionem illam auctoritate, Henrico Galliarum tum Regis fratri inſignia Regni deferri ſuadebat. Hanc igitur, non tam Erneſtus, quám Hiſpanus repulſam paſſus non modó nihil de cupiditate ſua remiſit, verúm etiam occaſionem nactus vehementiús multó, quám antea, amore Regni exarſit. Mortuo enim Carolo IX. Galliarum Rege, cúm Henricus in Patriam ſe imperii ſuſcipendi cauſsâ recepiſſet, iterum Comitia habentur: conveniunt Candidati, comprímis autem ipſe Cæſar Maximilianus. qui, etſi ceteri ſummopere contendebant, tamen & dignitate ſua, & auctoritate Philippi unus inter omnes plurimúm eminebat. quid multa? ita res Philippi ſtudio incaluerat, ut Maximilianus nonnullos de Proceribus, quorum ſuffragiis jam Regnum propé obtinebat, a ſe haberet. ſed tamen reliqui, quorum menti ſententia melior, obſiſtebant acerrimé, maximéque altera Selimo Turcarum imperator Amurates, qui Polonis bellum minabatur, ſi quem Auſtriacorum Regem deſignarent. ídque non ſine cauſſa. timebat enim, ut etiam anté Selimus, ne intolerabilem Auſtriacorum potentiam adjecto Poloniæ Regno augerenr. Quo certé conſilio nihil prudentius potuit utiliúſque cogitari. præſertim cúm & minuenda ſit violentiorum Regum potentia,

tentia, numquam augenda. & nomine quidem Maximilianus, re autem vera Philippus Poloniæ Rex creatus fuisset. quo factum est, ut Stephano Battori summâ reliquorum voluntate sceptrum & corona deferretur. Tum verò Maximilianus tanto fuit dolore affectus, ut Germanos ad bellum (credo quó faciliús exhausti clãde Hispano servirent) contra Polonos & Turcas gerendum sollicitare non dubitaret. Philippus autem sapienter elusus se, quantúm poterat, comprimebat. nec enim dubitabat, quin, si quando reditus ad Comitia daretur, ita competitorem aliquem subornaret, ut perfacilé id, quod vellet, impetraret. At ecce, quod unum in votis unicé habebat, procedit. excessit é vita Battor? instat Comitiorum dies. Quid fit? accedit Maximilianus illius, quem modó dixi, Maximiliani filius, hujus Imperatoris frater. hic omnia, hortante maximé & adjuvante Philippo, experiri, non universorum vocem exspectare, sed rogare, sed prensare singulos, quosdam donis & promissis corrumpere, nonnullos ab Hispano corruptos hortari cœpit; impedimenta, ne qua obstarent, omnia removit; Deum se fore, non Regem, magnam pecuniæ vim, Equestris dignitatis Ordinem Polonis apud Hispaniæ Regem pollicetur. &, ne singula, quæ plurima sunt, enumerem, hæc duo, quasi maximé animos hominum movere videbantur, videlicet, Summum Austriacorum studium, maximéque Hispani perpetuum fore favorem ostendit: ne quid forté minas Amuratis aut irruptionem formident, Operam opémque Philippi & omnium Christianæ Reip. Principum contra Turcas Polonis se præstaturum promittit. id quod, si cetera neglexisset, perfacilé præstare potuisset: quippe qui Regnum potentissimum

tissimum adeptus, reliquos Christianæ Reip. Principes si non oppressisset, at certé ad societatem belli vel invitos compulisset. Ne quis autem ficta hęc, aut dicis caussâ dicta putet, sententiam suam illius orationi adscribunt qui Maximiliano præstó sunt á Rege Legati: quorum vox non minus auctoritatis, quám si ex ore Philippi missa fuisset, habebat. Itaque pedarii quidam & nummarii senatores, quos non tam fama virtutis, quám pecuniæ fames movebat, pedibus ire in hanc sententiam, & Austriacum declarare Regem sine reliquorum consensu cœperunt. Quod ceteri, qui paullo longiús prospiciebant, animo periniquo ferentes, Suetorum Regis filium, quem Regno jam anté destinarant, unâ mente, unâ voce, more majorum Regem appellarunt. Quod quidem ipsum quam potissimúm ob caussam faciendum putarint, suspicari faciliús, quám explicare poterit is, qui rationem Selimi & Amuratis prudentissimé explicatam æquo judicii examine perpendet. Nunc scilicet exspectatis, dum, quid Austriacus fecerit, exponam. Quid fecit? nihil, nisi quod & PHILIPPVS illi, si minús opportuné cecidisset, persuasit, & omnes tentare solent illi, qui tantúm se jure putant, quantúm armis possunt, valere. vi sibi viam munivit: collegit derepente, quas potuit, & instruxit copias; in Poloniam adduxit: caput Regionis Cracoviam obsedit. Atque hæc omnia citiús re ipsâ perfecta sunt, quám verbo dicta. ut anté feré, quod cupiebat, effieeret, quám quisquam id eum facturum suspicatus esset. Nec id mirum. nihil enim erat, quód diu deliberaret, ut qui evigilatum cogitatione Philippi consilium secum attuliset. Poloni autem, etsi tam importunę audaciæ insueti, non tamen armorum insolentes,

certé

certé viri fuere; vim vi repulere; fudere exercitum; Ducem ipſum, ut captum, non ut Regem, accepere. Nihil ut ipſe amplificandi cauſsâ loquar, Vos, Principes, id, quod res ipſa loquitur, interrogabo. NON IS Poloniæ Regnum affectavit, quem ad Principatum Ambitio, ad prædam Avaritia, ad violentiam Potentia hortabatur? non is, cujus conatum unus & item alter Turcarum Imperator perſpexit, &, quantúm in ſe fuit, omni ratione evertit? non is, qui non ſemel atque iterum, ſed jam tertió, non is, qui non alienos, ſed propinquos, non benevolos Polonis, ſed ſibi deditiſſimos tam ambitioſé promovit? non is qui Legatos miſit, nonnullos ex Proceribus corrupit, ſuffragia emit? non is qui omnia Auſtriaci promiſſa ſe patraturum recepit? non is, qui, cúm per cuniculos ad Regnum adrepere non poſſet, ſuaſit Auſtriaco ut Polonis de manibus extorqueret? non is, qui Luſitaniam eodem ſcelere in ditionem Imperii ſui redegit? non is denique ampliſſimi Regni Dominatum appetivit? at patet, aperta res eſt, niſi qui meridie lucere negat, dubitare nemo poteſt. Atque hęc omnia quis fecit? PHILIPPVS. quis auctor Auſtriaco fuit? PHILIPPVS. quis adjutor? PHILIPPVS quis ergo ad Poloniam adſpiravit? nonne PHILIPPVS? Sit igitur hoc unum ambitioſiſſimi conatus documétum. ALTERVM illud, quod Divino munere nuper patefactum eſt, ſimul & repulſum, ne animos quidem veſtros commovebit? O notam Ambitionis ſempiternam! In Britanniam involaſſet, niſi Deus ipſe, qui bonorum ſaluti in maximis periculis providere ſolet, tam injuſtum támque audax facinus deteſtatus fuiſſet. nam ſi umquam Deum immortalem (ut idem, quod jam ſępius dixi, gratię & pietatis cauſsâ repetam) ullâ in re pręſentem fuiſſe nobis

accepimus, ita præſentiam ejus hoc tempore experti ſumus, ut, ſi ſub aſpectum ullo modo caderet, non clariús oculis noſtris videre poſſemus. Ergo, ne plura exempla referam, quæ & nota vobis ſunt, & propé infinita, hæcine movent, quæ vel ipſi proximé vidiſtis, hæcine vos tangunt? an quoniam perfecta res non eſt, ardentem regnandi Cupiditatem fuiſſe perſpectam negatis? quaſi veró ſi facultas defuit, defuerit etiam, quæ ſumma ſemper & eſt & fuit, voluntas. Fingite animis, quæ facta non ſunt, ac ſi contigiſſent: tum denique, intelligetis, ſi Philippo, quod conſtituerat, perficere licuiſſet, non modó voluiſſe, verúm etiam valuiſſe extremam Tyrannidi manum admovere. Nam ſi aut Poloniam inſidiis, aut Britanniam armis, aut, quæ ſpes illius erat, utramque ſubegiſſet, qui ſtatus Reipub. fuiſſet, quod præſidium ſalutis, quod Libertatis? Num Danus, Suecus, Scotus? num Gallus? num Belga? num Germanus madefactos Polonorum & Britannorum ſanguine gladios à capite, à jugulo repreſſiſſet? Seró ad arma conclamatum eſſet: hoſtis haberet muros; raperet ferrétque omnia, rota a culmine labaret Europa. Horreo, Principes, quoties peſtiferum illud exſcidium, quod jam ſupra caput exſiſtebat, recordor. nihil ego dico: Vos ipſi, ſi quam ſalutis veſtræ curam geratis, ipſi Vos, quid futurum fuiſſet, cogitate. non Scotos, non Danos ab omni parte preſſos tenere, non a dextra Suecos, a ſiniſtra Moſcos, a tergo Germanos, a fronte etiam Turcas oppugnare, non Belgas, non Gallos graviſſimâ belli clade infractos debellare potuiſſet? nemo neſcit; nemo negat. O calamitoſam Europam, quæ tam propinqua exitio tuo fuiſti! O felicem eamdem atque fortunatam, quę ſalu-

tem

tem vitámque tuam ex ipſis ereptam faucibus Ambitionis vidiſti. Te Scotia, te Suecia, te Dania, quæ neſcio quo modo contendere ipſas quaſi maris habenas & remittere arbitratu tuo videris, turbulentiſſima Ambitionis tempeſtas obruiſſet. te, Germania, quę tamquam vino & altiſſimo ſepulta ſomno quieſcis, excitaſſet tubarum armorúmque horror, vel potiús improviſi violentia Martis oppreſſiſſet. Tu, Belgica, graviſſimos perpeſſa belli labores exanimatam perpetuâ calamitate animam tuâ ſponte efflares. tu, Gallia, quæ lacerata miſeré atque vexata vix ſpiritum etiam-nunc vitámque trahis, proſtrata plané & conculcata indigné jaceres. tu Sarmatia, tu Moſcovia, vos, Regiones univerſæ, quas alius quaſi Orbis diviſit, inviſos Gaditanorum vultus videre, inauditas voces audire, inuſitatos perferre mores deberetis. Hoc cogitavit, hoc meditatus fuit, hoc agitavit Philippus. atque iſtud ſi, quod pæne perfecerat, perfeciſſet, an-ne Dominatum, quem animo ſemper tenuit, jam ſuâ veluti manu comprehenſum teneret? Quamobrem, ſi qua adhuc caligo oculos veſtros impedivit, diſcuſſa eſt; videtis unum omnium hoſtem Hiſpanum: Si videtis, capeſſite Rempub. tuemini Patriam, defendite Libertatem, repellite Servitutem. hæc ſi virtus animúſque ſuadet, unâ cum ſociis ad arma, ad arma convolate. omne periculum in diſſenſione, in mora, ſalus atque victoria in concordia, in celeritate conſiſtit. Nam quæ vos ſpes, quod ſolatium moratur? an, Quód brevi Tyrannidem ſua ſponte collapſuram putatis? certé, ſi id exploratum habetis, non repugno; in ſententiam ire non recuſo: ſin minús, quid ſtultius quám ignavâ & incertâ ſpe ad certiſſimum duci exitium? Fateor, id

quod ſuprá dixi, non quidem ut Ignaviæ defenſionem, ſed dolori conſolationem darem, TYRANNVM ſua fata proſpectare. Num igitur deſidere, omnia ſperare, nihil agere, nihil ipſi tentare debemus? immo opus eſt labore, opus eſt curâ majore; ne, cúm Divina benevolentia nos undique circumſtet, ipſi deeſſe nobis videamur. Non enim Deus otioſos ſed laborantes, non timidos ſed fortes, non negligentes, ſed aſperrima quæque agitantes victoriâ præmióque donabit. Sed facite Tyrannum pœnas daturum; facite perbrevi ad inferos deceſſurum; facite diſſenſionem de Principatu Tyrannidis orituram. quid tum poſtea? numquid ſolatii vobis continget? nihil, ſi quidem in præſentia ſervire, permultum, ſi imperare parati eſtis. Quid enim ad vos, vivat an moriatur, cadat an regnet Philippus, ſi modó vobis ea ſit, quæ vitâ potior eſt forti viro, erepta Libertas. Sed ſi hoc tempore Servitutem ſpernere fortitérque defendere cogitatis, nihil eſt quod formidetis: tranquilla ſemper Reſp. & quieta permanebit. Quare ſi vobis animus eſt Libertatem tueri, uná cum ſociis arma capite; haſtam manu tenete: ſin id facere horretis, certam perniciem, ſed ignaviâ veſtrâ dignam, & infeſtum vobis iratúmque Deum ſperate. nam quód Hiſpanum aut vobis, aut vicinis, præſertim Belgis pacatum fore putatis, id veró futurum eſſe nego. Quoties enim res illa acta fuit? quid Belgæ non fecerunt, ut cum eo, quem nullâ re, ne verbo quidem violarant, in gratiam redirent? Principem ſemper appellarunt; quantúm, & pæne plús quám fieri potuit per Libertatem Patriæ, dicto audientes fuerunt; miſerunt de pace Legatos; maximos Chriſtianæ Reip. Principes interceſſores habuerunt: omnia, quæ ceteri non feciſſent, tentarunt.

runt. Num placare eum, qui juſtam iræ cauſſam non habebat, potuerunt? quid ſi officium, vel potiús obſequium noſtrum ſuperbiſſimé ſprevit? Legatos partim rejecit, partim interfecit? Auctoritatem eorum, qui intercedebant, contemſit repudiavit? Hæc quando acta ſunt? tum, cúm infirmior ille, fortiores nos, cúm ille minús ambitioſus, minús avarus, nos perhumani, ut ſemper Belgæ, pérque liberales eſſemus: tum denique, cúm ille nos ſubditos habere, non ſervos deberet; & nos ipſum, ut Regem, coleremus, non odiſſemus, ut Tyrannum. Si igitur tum placari non potuit, nunc poterit? Cur? quód Principem Aurantium Defenſorem, Patronum, Patrem Patriæ appellavimus? Philippum Hoſtem, Inimicum, Proditorem Libertatis judicavimus? quod illum honore ſumus atque favore, iſtum juſtiſſimo odio proſecuti? quód illius memoriam celebramus, iſtius nomen deteſtamur? O Pacem! O ſpem! O rem miſeram atque deploratam! Attamen interdum eſt Pacis facta mentio. Qua de cauſſa? nos ut liberi eſſemus? Cur non accepimus? ut celeriús ſeruiremus? Cur nomen Pacis prætendimus? Pax eſt tranquilla Libertas, Servitus omni bello, omni clade pejor. Quem igitur ad finem Parmenſis (quem ego ut imperatorem non imprudentem laudo, ut perniciem peſtémque Libertatis deteſtor) mentionem de Pace fecit? ut quorum conſtantiam violentiâ belli non potuit, eorum virtutem debilitaret mentione Pacis. ſperabat enim Belgas multis magníſque cladibus non virtute hoſtium, ſed perfidiâ ſuorum affectos, Ex adverſa belli fortuna ad diſcordiam, ex diſcordia ad timorem, ex timore ad deſperationem ſalutis, ex deſperatione ſalutis ad turpiſſimam ſpem Pacis, ex ſpe Pacis ad pactionem Servitutis,

id eſt,

id eſt, extremum malorum omnium, HAC ADVENTANTE CLASSE, deventuros. En quæ Pax, quę Salus, quæ Libertas eſſe poſſet major? Sed fuerit tum ſpes quædam, quæ nulla fuit: nunc an ulla erit, an ulla eſſe poterit? dementes ſumus, ſi ſperamus; ſi optamus, imprudentes. Quid enim? ſi iratior, ſi acerbior, ſi infenſior non Regnum, non fortunas, non liberratem, ſed cædem, ſed ſanguinem, ſed interitum concupiſcat, etiamne compoſitionem futuram putatis? Altiús, mihi credite, vulnus ambitioſiſſimo pectori Claſſis illa, illa Claſſis inflixit: quę licet oculos & conſpectum deſeruerit, non deſeret mentem Philippi; incluſa medullis hærebit; ſemper vindictam, ſemper ultionem, ſemper pœnam clamabit: ut, ſi & Leges, & Libertatem, & fortunas projicere (quod Belgis indignum) parati eſſemus, ne ſatis quidem ipſius judicio ſuſciperemus ſupplicii, niſi nos metipſos ad mortem vellemus crudeliſſimis tradere parricidis. Hæc quoniam intoleranda ſunt viris, maximéque Belgis, prædico, anté denuncio numquam Philippo cum Belgis, Pacem, numquam Belgis cum Philippo futuram. In hac deſperata ſpe Pacis quæ vobis, Principes, cum Hiſpano intercedet concordia? immo veró dicatis, quæ diſcordia? Nam ſi aliquando nos ſocios belli adverſus Turcam habere voluit eâ modó lege, uti ſummum penes ſe imperium eſſe pateremur, jam ut liberé vivamus, non concedet? præclaré. iſtud enim ſæpe jam audivi. Nunc demum, opinor, quod perſuadere non potui, ipſi vos cernetis, Hiſpanum non modó etiam-num, verúm etiam tum affectaſſe Orbis-terræ Principatum. Attendite pauliſper, & vobis dignam cogitationem ſuſcipite. Cur ſocietatem belli vobiſcum

facere

facere voluit? nempe, ut Aut Christianæ Reip. Libertatem a metu tutam præstaret; Aut hac via tamquam maximé compendiaria ad meditatum sibi diu Dominatum perveniret. bene se res habet. jactum est fundamentum rationis meæ. At ille de salute vestra laboravit qui perniciem vestram vehementiús quám interitum Turcarum ipsum concupivit? Cur bellum illud interrupit? cur indutias cum hoste fecit? Honestas suadebat? at prohibebat. quod enim bellũ justius, quod honestius? Cogebat necessitas? at victoriam retulerat. quid autem necesse est facere victori? Illud erat, Restincto Turciæ incendio, funestam belli facem in Europam transferre statuebat. Hic igitur utrum vos, cúm de bello contra Turcas gerendo ageret, ad incolumitatem vestram in tuto collocandam, an ad Dominationem sibi pariendam incitavit? Illud egit, illud meditatus est, illud ab initio cogitavit: primúm, ut vestro labore, vestra virtute Tyrannum Asiæ debellaret: deinde, ut Imperator, arbitratu suo, quod sibi visum fuisset, cuique assignaret: tum, ut potentissimus, vestris vos armis trucidaret: ad extremum, ut victor omnium, non de Europa tantúm, sed de universo terrarum Orbe triumpharet. Num illum tantâ multitudine armatorum stipatum Turca repellere, num quis sociorum huic Leoni portionem de prę-da ullam detrahere, num quis ferociam ipsius atque violentiam comprimere potuisset? Quid ergo de Principatu Orbis abfuisset? nihil, nisi labore vestro atque periculo acquisitus, nisi perornatus spoliis exuviisque vestris & Asiaticorum Gazâ triumphus. Hoc consilium Philippi, hic finis, hæc societas fuisset. Itaque vos ego miseros atque adeo miserrimos omnium mortales esse judico, qui ma-

ximorum ſpe præmiorum adducti, exitium vobis ipſi tæterrimum paratis. Tu, Pontifex, qui cælum terrámque miſces, Leonem eſſe, quem paſcis, ignoras? qui voti compos ſui Romanæ Lupæ catulos diſcerpet? Vos Sabaudi, vos Guiſii, quó ruitis inſani? non ſentitis Tyranni adminiſtros eſſe calamitoſos, Philippi calamitoſiſſimos? horribile eſt, inviſum Deo hominibuſque Tyrannum adjuvare. eſt enim illud commune fatum omnium Tyrannorum, ut non modó ipſi, verúm etiam illi, quibus utuntur miniſtris, iræ Divinæ & juſto bonorum dolori duriſſimas ſcelerum pœnas experiantur: horribilius autem illum adjuvare, qui exſilium & egeſtatem pręmia benemeritorum, mortem naturę finem, cruciamenta pœnam eſſe arbitratur. Tu, Bavare, nullum furandi finem facies? profectó ſacrilegam iſtam, quam deglutiſti, pecuniam evomere te ſitiens auri Hiſpanus jubebit. Tu, Parma, niſi maturé prudentiæ clypeum obvertas tuæ, hęrebis. an virtutem fortunámque alienam formidoloſam eſſe Tyrannis ignoras? Cæca furore Ambitio, immemor meritorum Avaritia, quos plurimúm diligere deberet, peſſimé odiſſe incipiet, tum, cúm plurimis eorum vigiliis atque laboribus Dominatum ſuum firmarit. Hęc fides, hęc pręmia ſunt, hęc promiſſa Tyrannorum. Quamobrem Vos, O Principes Orbis Chriſtiani, fortiſſimi viri, appello, Quouſque tandem indignam vicinorum cędem ſpectatis? cur juſtum neceſſariúmque bellum non ſuſcipitis? cur communem perniciem, commune periculum communi auxilio atque virtute non propellitis? Nihil ne ſalus ſubditorum, quæ commiſſa vobis eſt, nihil Libertas, nihil Patria vos, nihil finitimorum oppreſſio movebit? non idem ignis, non eadem

flamma

flamma vos vicinósque vestros incendit? Si proximi vicini ædes flagrare cœperunt, accurrimus subitó, omnes advocamus, perinde, quasi res nostra agatur, laboramus: & hoc pernicioſiſſimum Ambitionis incendium, quod non unũ aliquem angulum, ſed univerſam inflammavit Europam, non omni vi atque conatu reſtinguemus? una nobis omnibus ſalus eſt, una Libertas, unum periculum, unus hoſtis, quem ſi a fortunis jugulísque noſtris refrenare velimus, capiamus animos tanto conatu dignos; arma ſumamus; unácum vicinis in pulverem, in dimicationem prodeamus. Nec eſt, quód infirmum, quód inermẽ, imperitum eſſe hoſtem putemus: cum infeſtiſſimo potentiſſimóq. Hiſpaniarum Tyranno eſt nobis omne certamen. Qui non Oriente, non Occidente, non utráq. Hiſpania, non Luſitania, non Sardinia, non Sicilia, non Campania, non Inſubria contentus, avariſſimos in fortunas noſtras oculos animúmq. defixit; qui, ut omnes belli vires in nos unos converteret, Turcam indutiis, Regiones omnes quas aut vi, aut dolo ſubegit, incredibili vigilantiâ perpacavit; qui exercitu, pecuniâ opibúſq. inſtructus miſerrimũ Europę interitum minatur. Et cúm hoſtem tam potentem, tam acrem, tam vigilantẽ habeamus, quę, malûm, eſt illa ſive ſocordia, ſive timor, ut reconditos vaginâ gladios, obſita rubigine arma, hebetes iacere mucrones patiamur? perinde quaſi de Belgarum dumtaxat, aut Britannorum, aut Gallorum, addo etiam Polonorum non potiús de ſalute totius Europæ decertaret Hiſpanus. Quod ſi ita eſt, ſi tantúm illud agitur, utrum vicini Libertatem tueantur, an ſerviant, non opem, Principes, veſtram, non auxilium rogant: Vos fruimini tranquillitate veſtra. illi per ſe, aut vincent, aut toties ab Hiſpano

petitas ſubjicient ſecuri cervices. Quamquam, ſi quid animi in vobis, ſi quid virtutis ineſſet, vos & inſignis Hiſpani injuria, indigna vicinorum clades moveret. Sin hoc ipſo contra illos bello ſalutem omnium Veſtram, ut cúm maximé, oppugnat, quæ vos ignavia, quę pernicioſa mora retardat? Majores veſtri, ſi quid ſociis acciderat, non ſecus ac ſi ipſis contigiſſet, ad arma perſępe iverunt. itaque diu Romanis reſtiterunt; multis magníſque prœliis vicerunt; vix tandem aliquando victi fuerunt. Nos, viri fortes, prô Deus immortalis, ubi eſt ille mos virtúſque majorum? modó hos, modó illos debellari vicinos videmus, num ſaga ſumere, num oppreſſis ſubvenire, num bellum gerere tentamus? Speramus ſcilicet Pacem; malumus inani ſpe diem ex die ducere, quám, ne ſociorum exitio ſpes ſalutis noſtræ excludatur, ſatis tempore providere. Et numquanam futura Pax eſt? certé, niſi quæ victoriâ & armis pariatur, nulla. quid ita? Philippus avarus eſt, ambitioſus eſt, Tyrannus eſt. At priús unda flammis, priús aëri terra, priús omnia omnibus, quám Libertati Ambitio, quám Paci Avaritia, quám Virtuti Tyrannis. his ille furiis agitatus, tantúm abeſt, ut pacari poſſit, numquam furere deſiſtet, niſi aut ipſe ruat in exitium, quod Deus Numine firmet, aut ſalutem Orbis terræ exſtinguat. Docet hoc depopulata Nova India, docet expugnata Luſitania, docet repentino armorum terrore obſtupefacta Polonia, percuſſa maximę Claſſis adventu Britannia: quid multa? Patria, pró dolor, noſtra Belgica, & miſerrimé labefactata Gallia exclamat. Quamquam quid ego Galliam nomino? quæ non modó veterem colorem & ſpeciem, ſed ne ſuccum quidem & ſanguinem retinuit. ubi ubi eſt illa quondam Gallia, ubi priſca

Liber-

Libertas, ubi ingens gloria Gallorum? tũ, quæ florens magnæ Orbis parti præſediſti, ſed præſediſti, nunc omni & ornamento dignitatis, & præſidio ſalutis, non poſſum diutius, includit vocem mæror, ſpoliata jaces. Ecquonam ex fonte hoc tantum malorum mare profluxit? non ex Avaritia, ex Ambitione promanavit? Itaque ſi Pacem ſperatis, tollite Ambitionem, tollite Avaritiam: ſin hæ radices, niſi uná truncus eruatur, evelli non queunt, nolite, quæsó, quod evenire non poteſt, exſpectare potiús quám, quod fieri fas eſt, cum ſociis apparare bellum. Nam ſi quod bellum juſtum, pium ſit atq. honeſtum, quod æquius, quod glorioſius, quod ſuperis hominibúſque acceptius, quám hoc noſtrum, quod pro Libertate Patriæ ſuſcipitur, in quo vi vis illata defenditur? Si neceſſitas Barbaros, feras natura ipſa movet, ut alacriter ſe, latibula, fetúmque tueantur, quantó magis ratio homines, virtus ipſa viros monebit, ut Patriam, ſe liberóſque ſuos contra vim atque injuriam ſtrenué fortitérque defendant? Nos aras, focos, nos jura, leges, Libertatem, nos mœnia, muros, nos Patriam contra injuriam atque audaciam, contra perfidiam & impietatem, contra ſuperbiam avaritiámque defendimus. Id laborat, id molitur, id pugnat Philippus, ut Remp. evertat, æquum, fas omne deleat, divina atque humana jura pervertat, alios in Servitutem abripiat, alios crudeliſſimé trucidet, fortunas noſtras partim diſſipet, partim egentiſſimis diſtribuat homicidis. Ille igitur libidinoſus, impius, facinoroſus ſceleratum, injuſtum, exſecratum; non modeſti, pii, honeſti juſtum, plenum pietatis, plenum laudis, neceſſarium denique bellum gerimus: ut, ſi quis Deus vitia pœnis, virtutes præmiis compenſat, dubium non ſit, quin &

ille, unâ laborantibus nobis, celerrimâ exitio factis illis ſuis digniſſimo afficiatur; & nos debitâ virtuti & pietati noſtræ tranquillâ Libertate perfruamur. Itaque laudo, laudo vos, PRINCIPES, Belgarum, qui bellum tam pium támque neceſſarium tam conſtanter & geritis & geſſiſtis; Hoſtem Reip. PHILIPPVM, quoniam Principem habere non licebat, unâ mente judicaſtis. nam fieri quo pacto poteſt, ut non ſummo jure contra illum arma ſumta ſint, qui, priuſquam id factum ſit, Patriæ, Libertati, Naturæ denique impium nefariúmque bellum indixit? Te, magnanime PRINCEPS, te, PATER PATRIÆ, laudo, qui hâc eâdem neceſſitate coactus, cúm Regem ſummé ſemper coluiſſes, Patriam tibi cariorem eſſe & ſanctiorem oſtendiſti; immemor illius, memor officii, memor pietatis, memor virtutis tuæ, defenſor Patriæ, propugnator Libertatis, patronus Religionis fuiſti. tu quidquid tibi carum ſive natura, ſive fortuna donavit, patrimonium ampliſſimum, ſanguinem fraternum, quo nobis redemta LIBERTAS, corpus denique tuum pro patria conſtanter obtuliſti. O Lux, O Spes, O Virtus Belgarum. Sed comprimam ego me, ne commemoratione pręſtantiſſimi viri (nam quo modo non optimus ille, quem per ſummum ſcelus interfecit Philippus?) dolorem ipſe ſcindam. Vos, Belgę, hanc retinete virtutem, quam ille vobis ut hereditatem, ut effigiem ſui, ut ſe ipſum reliquit. Non enim ſplendor dignitatis, non nomen Principis, ſed illa, quæ ſibi quiſque effingere poteſt, vigilantia, conſilium, perſeverantia, odium Tyrannidis, amor Libertatis, pecuniæ, voluptatis, doloris, mortis contemtus tot tantáſque res, tam pulcras, tam ſalutares, tam glorioſas geſſerunt. Quare hæc amplexi, hæc

cti, hæc imitari debemus. Te, REGINA, vósque BRITANNI, laudo: qui, cúm antea, tum etiam nunc Hiſpani ſcelere in apertum prolato, ad tuendam Patriæ incolumitatem, curam, laborem periculúmque Belgarum veſtro labore, veſtro periculo, veſtra cura adjuvatis. Nec id mirum. quis enim vos hoſtis oppugnat? ille videlicet, quẽ Galgacus ille Caledonius, veſter, ſive civis, ſive popularis, vir certé fortiſſimus planiſſimé deſcripſit. hunc ſeverus ille & prudens Hiſtoriæ ſcriptor in Romanos ita loquentem induxit: *Raptores Orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terræ, & mare ſcrutantur*: Quid ſi maria perſcrutati omnia non quieverunt? quid ſi alterum Mundum invenerunt? quid ſi novos quotidie Mundos inquirunt? O plumbeos etiamtum ſtultóſque Romanos, qui Gades Naturæ terminos eſſe crediderunt. Ecce extremi omnium Gaditani latiorem multó, quám ea, quæ Romanis nota, nedum ſubacta fuit, terram invaſerunt. Quid porró? *Si locuples hoſtis eſt, avari; ſi pauper, ambitioſi*: Pulcré. nihil habeo, quod detraham; unum dumtaxat, quod addam. Hi ſunt non tantúm in egentes ſuperbi, verúm etiam crudeles. cúm Avaritiam prædâ non poſſunt, immanitatem cædibus paſcunt. *quos non Oriens, non Occidens ſatiaverit*: Quid verius? quid certius? quid clarius? Atque utinam Oriente & Occidente, utinam Meridie contenti nefarias manus ab ipſo, qui Tyrannis formidini fuit, Septemtrione abſtinerent. ex quo videtis nihil eſſe, neque tam arduum, neque terribile, quod Avaritia & Ambitio tentare non auſit. *ſoli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiſcunt: auferre, trucidare, rapere falſis nominibus Imperium*, Quid? non ita ſe habet? non & ipſi vidimus millies, & videmus

videmus quotidie, ubi rationem armorum invenire nullam poſſint, id agere Hiſpanos, ut honeſtatis velo turpitudinem, integumento juris vim iniurjámque tegant? Num, ut Regiones innumerabiles prætéream, cur Luſitaniam oppreſſerunt? cur Poloniam Britanniámque opprimere voluerunt? Num cauſſas habuerunt ullas? veras profectó nullas: num falſas? etiam, ſexcentas. *atque vbi ſolitudinem faciunt, Pacem apellant.* Digna vel Apolline ipſo ſententia. omitto enim Siciliam, omitto Hiſpaniam utramque, omitto plurimas Regiones atque Provincias, quas, cúm fortiſſimo quoque cive orbatas reliquiſſent, pacatas appellarunt. quid! non una tantummodo India teſtis ſatis gravis & locuples, quam iſti (quis non jure ingemiſcat) non modó cultoribus, verúm ipſis etiam viſceribus, auro atque argento avariſſimé privarunt? Quare iterum vos laudo, BRITANNI, non eó ſolúm quód Hoſti tam importuno támque nefario vos eſſe inimicos oſtenditis, verúm etiam quód priſtinam Caledoniorum virtutem imitati prudentiam majorem adhibetis. Illi ſi orientem belli flammam uno conatu reſtinxiſſent, numquam vicinorum conflagraſſent incendio. Verúm, ut ad vos revertar, PRINCIPES, Quouſque tandem, O viri fortes, dominantem videre & crudelem timere Tyrannum decreviſtis? quem ad finem pulcerrimæ vindicandi Libertatem occaſioni indormire ſtatuiſtis? quamdiu & vires veſtras, & incredibilem vincendi opportunitatem ignoratis? Etenim ſi Cæleſtis illa & Divina vis ullo ſe tempore declaravit, profectó hodierno die poteſtatem vobis feciſſe videtur eligendi, utrum hac tempeſtate gloriosé vincere, An ignominiosé in poſterum ſervire malitis. Hęc utrum negligenda occaſio, quó

ſio, quó celeriús ſerviamus? O calamitoſos! O Libertate, luce indignos! O deſidioſos mortales! Non-ne omnia experiri, non-ne extrema pati, non-ne emori per virtutem, quám per ſummum dedecus more pecudum ad lanienam trahi, præſtat? An igitur, ut liberé vivamus in poſterum, arripienda? Quid ergo? quid inertes moramur? cur dubitantes deſidemus? quin oblatam Divinitus fortunam amplexamur? pugnat Belgica; in armis etiam nunc eſt Gallia; tendit dextram Britannia; Terror ille Claſſis deſævit. Hæc autem nos omnia ſpectamus, audimus; &, quî debilitatam confringere potentiam, repulſam propellere audaciam, preſſam opprimere Tyrannidem, laborantes adjuvare ſocios poſſimus, non cogitamus? ita-ne recenti victoriâ frui quám uti malumus, ita-ne ſociorum ſalutem noſtram eſſe ſalutem neſcimus; Fuit, fuit illa quondam fortiſſimorum virorum conſuetudo, ut finitimis Tyrannide preſſis ſuccurrerent, bellum decernerent; commune periculũ conjunctis viribus propellerent: ne, dum ſinguli pugnantes vincerentur, univerſi perirent. O pulcrum prudénſq. factum. Concordia armat inermes; Diſcordia ſpoliat armatos: illa debilitatos confirmat; hæc confirmatos debilitat: illa confringit adverſarios; hæc ſtabilit inimicos. Diſcordia denique opes egeſtati, vires infirmitati, LIBERTATEM Servituti ſubmittit: Concordia paupertate opulentiam, imbecillitate potentiam, virtute vincit audaciam. Hac virtute contemti perſæpe abjectíque hoſtes florentes populos inclytóſque Reges devicerunt; hac Romani primúm univerſam Italiam, deinde Africam, Aſiam, ipsámque Europam ſibi ſubjecerunt: contrá, qui ceteroqui viribus invicti videbantur, ſolâ diſſenſione fracti

conciderunt. ſic olim Hiſpani, cúm interitum ſuorum ſpectare, quám avertere malebant, juſſa Romanorum, & ea, quæ viris indigna ſunt, pati debuerunt. Et hoc, quotiſcunque Hiſpanorum nomen audimus, non meminimus, aut, ſi meminimus, ne quando nobis idem accidat, proſpicere nolumus? Vigilemus, Principes; unâ mente pugnemus; &, ſi resita fert, moriamur: ne, ut olim Hiſpani Romanis, ita nos ſervire cogamur Hiſpanis. Fuit in Romanis, cúm violentia abeſſet, virtus quædam; fuit fides, gravitas; fuit etiam illa, quæ turpitudinem Servitutis minuit, majeſtas. itaque ſive quod aliorum fatum erat ſervire, ſive quod ipſorum imperare, potentiſſimos Reges in ditionem imperii ſui redegerunt. In Hiſpanis veró quid invenias niſi crudelitatem, niſi perfidiam, inhumanitatem, faſtum, avaritiam, impudentiam, omnem denique improbitatem. ut ſi aperta res non eſſet, mores ipſi & natura clamarent, in unam modó Hiſpaniam confluxiſſe omnes & Gothorum Alanorúmque ſordes & fæcem Maurorum, & immaniſſimorum colluviem Barbarorum. Et nos, quorum eſt res propria Libertas, ſerviamus illis, quos nemo ne in ſervos quidem ſuos imperio dignos putet? Rejiciendum eſt omni conatu hoc jugum Servitutis nefarium: aut, ſi id facere non poſſumus, quæ forti viro Servitute potior, optanda mors eſt. Sed nihil nobis deeſt, niſi voluntas: ſunt arma, ſunt viri, ſunt opes, ſi pugnare certum eſt, magnæ: ſi ſervire decretum, nimiæ. nam quód inopiam, quód paupertatem prætendimus, fallimur, ne dicam, mentimur. accuſamus paupertatem foris, opulentiam domi oſtentamus. id quod ipſe hoſtis, niſi providemus, cúm ſpoliis ſe noſtris ornabit oſtendet.

det. Atque utinam nobis opes aut nullæ forent, aut, quæ ſunt, iis uti potiús, quam abuti vellemus ; & civem ſuum Patria , & hoſtis hoſtem ſentiret. ſed perdit nonnullos, quæ, ſi opes abeſſent , nulla foret, Voluptas. nam qui ſibi divitias habet, ſectatur voluptatem: qui voluptatem amat, is odit dolorem ; timet hoſtem ; horret periculum. hæc qui facit, turpem Servitutem prę fert honeſtę morti. Si vos igitur viros probare contenditis, exúite ſocordiam ; omni curâ, vigiliâ, conſilio afflictę Libertati ſubvenite. adſpirabit voluntati fortuna; Deus ipſe virtuti favebit. nec enim hactenus ſceleratos hoſtes adjuvit , ſed ignaviam multorum deſidiámque punivit. Omnis calamitas, omnis clades noſtro peccato accepta fuit, non virtute hoſtium illata. odit Deus improbos, odit ſuperbos ; diligit modeſtos & in extrema neceſſitate conſtitutos, modó ne ſint improbi, modó ne ignavi. Quare ſi virtute veſtrâ uti decreviſtis , en adeſt, adeſt illa, quam ſæpe jam optamus, quam optimus quiſque vel morte redimat , LIBERTAS. Obſtupeſcet conſenſionem hoſtis; ſentiet vires & nervos Concordiæ: & is, qui hactenus ut victor per univerſam volitavit Europam, ad Gades uſque ſuas ignominiosé recurret. Alius nunc ſtatus eſt, alia rerum facies, atque tum erat, cúm Claſſis illa in cervices totius Europæ immineret ; cúm omnia plena timoris eſſent , plena fugæ, plena trepidationis. Omnes hodierno die mortales, qui adhuc metu mortis Servitutẽ tulerunt, receperunt animũ recuperandę Libertatis: occaſionẽ ſibi deeſſe non putant : duces modó deſiderant: Vos, Principes, intuentur; vos expetunt: vos, ſi præire vultis, imitari volunt. Si igitur vobis ea cura eſt hoc tempore, is animus, poteritis hoc ſtudio, hac volũtate, hoc ardore plurimarum

gentium non modó veſtram, verúm etiam totius Europæ Remp. omni periculo in perpetuum liberare. ſin priſtinam vultis ignaviam tueri, omnia infeſta, Deum vobis ipſum adverſum, audaciorem multó quám antea & ferociorem hoſtem, miſerrimum denique exitium, ſed ſecuritate veſtra digniſſimum, exſpectate. Fervor ille multorum populorum morâ refrigeſcit; ſpes infringitur; fortium virorum virtus debilitatur: afflicta Tyranni violentia in dies ſingulos convaleſcit. Hanc occaſionem, O PRINCIPES invicti, hæc ſtudia plurimorum mortalium ne ad nihilum recidere patiamini, per Deum immortalem cavete. Nam quanta vobis neceſſitudo impendeat, non videtis? Agitur ſalus, Libertas Populi; agitur dignitas, auctoritas veſtra; agitur vita parentum, pudicitia liberûm atque conjugum: omnia quæ cuique grata, accepta ſunt, aguntur. Quis enim hæc omnia oppugnat? Ille, qui Indiam pæne totam, magnam Africæ, magnam Aſiæ, multó maximam Europæ partem divicit: ille, qui Iovem Capitolinum, furentem Guiſium, inſidiatorem Sabaudum, rapacem Bavarum Tyrannidis habet adminiſtros: Ille, qui irâ ardens, luctu amiſſæ Claſſis æſtuans, preſentem omnibus mortem intentat: Ille, cui nulla res; nullus ludus jucundior, quám ſanguis, quám cædes, quám ſtrages bonorum: Ille, qui naturâ avarus eſt, qui ambitioſus, & ut uno verbo cuncta comprehendam, HISPANVS. Quamobrem, PRINCIPES, quid agendum? An ſperanda Pax, An Servitus accipienda? non ita. Pacem pactione parere non poſſumus; Servitutem accipere non debemus. Ergo, quod ratio ſuadet, periculum jubet, neceſſitas cogit, vires omnes conjungemus, ut Aut glorioſé vincamus, Aut honeſté

neſté moriamur. Nam fortibus quidem viris ſervire nefas. nihil enim pejus dedecore; nihil fœdius Servitute,& cúm omnis eſt fœda Servitus, tumetiam hoſti ſervire fœdius, Hiſpano ſervire miſerrimum omnium atque fœdiſſimum. novimus Violentiam, novimus Superbiam, novimus Avaritiam. omnia turpia ſunt, indigna ſunt, non ferenda viris. Ergo, moriendum. moriamur. quid enim jucundius, quám ſi pro PATRIA contra TYRANNVM extremum vitæ ſpiritum cum honore, cum laude profundamus? Si mors neceſſitatem habeat Fati, parum horremus: cúm oppeti cum gloria poſſit, mori recuſamus? quamquam neutrum, Nec Servire, Nec mori neceſſe eſt. ſi concordes laborare, ſi arma capere, ſi dimicare volemus,profectó & ſpe jam animiſque vicimus;& re,Deo adjuvante, QVOD RATVM FIXÚMQVE SIT, primo quoque tempore vincemus.

FINIS.

75-19
Leona
Rome
1602

AD

MVNDI REGES

LIBERTATIS AMATORES.

NOMINE Pontificis prædatur, Numine Maurus:
Non Mauro cordi est Relligio? Regio.
Raptori, Reges, cur non occurritis Orbis?
Verúm Roma potens oscula nulla daret.
Temnite Pontificem Lenonem, temnite Romam:
Nescitis quám sit Roma siniſter amor?
Grata viris virgo LIBERTAS: *quâ ardet Iberus.*
Quis, quæsó, est hostis nunc tibi Liber? IBER.

P. Liberius.

F 598
V 513